L. lat. 230 vb (1

Englman

# Lateinisches Lesebuch

für

## die unteren Klassen der lateinischen Schulen.
(Sexta und Quinta).

Aus römischen Classikern bearbeitet

von

**Lorenz Englmann,**
Kgl. Professor am Ludwigsgymnasium in München.

Zweite umgearbeitete Auflage.

Bamberg.
Verlag der Buchner'schen Buchhandlung.
1862.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Druck von Junge & Sohn in Erlangen.

# Vorrede.

Zur Abfassung gegenwärtigen Lesebuches wurde ich von vielen Seiten und wiederholt aufgefordert. Daß nun diese meine Arbeit den Erwartungen entsprechen werde, kann ich freilich nur hoffen; jedenfalls aber wird das Büchlein an Anstalten, wo meine übrigen Lehrbücher eingeführt sind, mehr Einheit in den Unterricht bringen und hiedurch das Lehren und Lernen erleichtern. Dasselbe schließt sich im etymologischen Theile ganz dem ersten Kurse meines Übungsbuches an, nur daß es keine speciellen Übungen mehr über die Declination enthält. Ehe die Schüler im Decliniren die nöthige Fertigkeit haben, soll nach meiner Ansicht keine Übersetzung aus dem Lateinischen ins Deutsche gefordert werden. Die eigentliche und Hauptaufgabe des Lesebuches dürfte nicht so fast Einübung der Formen sein, als vielmehr darin bestehen, den Anfänger im Wiedererkennen der Wortformen innerhalb des lateinischen Redesatzes und im Analysiren zu üben und ihn zugleich an einfachen lateinischen Texten sich versuchen zu lassen.

Was die Wahl der Lesestücke betrifft, so sind diese nur aus römischen Autoren genommen, was man ohne Zweifel billigen wird. Daß ich mehrere Fabeln des Phädrus in die Prosa umsetzte, möge durch den Umstand entschuldigt werden, daß man hier, will man nicht Ungeeignetes aufnehmen, nur auf diesen Autor beschränkt ist. Ich hätte sonst diesen Abschnitt, die so beliebte und für Anfänger zweckmäßige Fabellectüre, aus meinem Lesebuche ganz weglassen müssen*). Übrigens erlaubte ich mir

*) Auch die von Bernhardy Grundr. d. Röm. Litt. 3. Aufl. S. 579 gelobten Fabeln des Anonymus Nilanti eignen sich wegen ihrer Latinität nicht zur Aufnahme in ein Schulbuch.

auch bei anderen Lesestücken Änderungen, namentlich suchte ich das Eine und Andere zu vereinfachen.

Von den Anmerkungen unter dem Texte habe ich Realerklärungen im Allgemeinen ausgeschlossen, und auch im Wörterbuche nur das Allernothwendigste beigebracht, das Weitere aber dem mündlichen Unterrichte überlassen. Zu den ersten 47 Absätzen gab ich dem Schüler eine fertige Präparation. Ein alphabetisches Wörterbuch soll meines Erachtens der Anfänger erst dann gebrauchen, wenn er nach Erlernung der Formenlehre die Fähigkeit besitzt, seine Präparation selbst zu machen. In beiden genannten Wörterverzeichnissen sind jene Vocabeln weggelassen, welche dem Schüler aus seiner Grammatik bekannt sein müssen, so die Zahlwörter, Pronomina und Präpositionen. Das Citat „Gr. §." bezieht sich auf meine Grammatik der lateinischen Sprache für Schulen. 5. Aufl. 1861.

Im Juni 1858.

---

Die zweite Auflage ist nach denselben Grundsätzen bearbeitet, wie die erste, unterscheidet sich aber von dieser dadurch, daß ich die mir als zu schwierig bezeichneten Sätze und Übungsstücke durch leichtere ersetzte und den Stoff überhaupt, besonders aber den historischen bedeutend vermehrte. Hiedurch hoffe ich den in dieser Beziehung vielfach geäußerten Wünschen Genüge gethan zu haben. Und so empfehle ich das Büchlein neuerdings wohlwollender Aufnahme.

**München**, im Januar 1862.

**L. Englmann.**

# Erste Conjugation.

## A. Activ.

**1.** Ignis aurum probat, miseriă fortes viros. — Fortes fortūnă adjŭvat, ut est in vetere proverbio. — Constamus ex animo et corpore. — Ii sapienter cogĭtant, qui temporibus secundis casus adversos reformīdant. — Aedīlis aedes sacras et privātas procurabat. — Impŭdens est, qui pro beneficio mercēdem postŭlat. — Taurus cornibus facĭle propulsat lupos.

**2.** Aquarum inductionibus terris fecunditatem damus. — Aegyptii bovem quendam putabant deum, eumque Apim nominabant. — Sapiens nullum pro republica pericŭlum vitabit. — Pontĭfex maximus res omnes singulorum annorum mandabat litĕris. — Secŭlum spatium annorum centum vocarunt Romani. — Caesar sibi mortem subĭtam celeremque optaverat. — Caesar G. Octavium, nepōtem sororis suae Juliae, testamento adoptabat.

**3.** Simulac duraverit aetas membra animumque tuum, nabis sine cortĭce. — Lycurgus leges suas auctoritate Apollĭnis Delphĭci confirmavit. — Themistŏcles eloquentia praestitit. — Nil sine magno labore vita dedit mortalibus. — In Hercŭlis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit. — Multi in exsilio dolorem suum doctrīnae studiis levaverunt.

**4.** Quis amicus esse potest cuiquam, quem non amet? — Diogĕnes philosŏphus disputabat, quanto regem Persarum fortunā superaret. — Perĭcles agros suos dono reipublicae dedit. — Theophrastus accusavit naturam, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam vitam dedisset. — Incertum est, quo loco te mors exspectet; ităque tu illam omni loco exspecta. — Ritus familiae patrumque servatote.

5. Praeterĭta mutare non possumus. — Vitiosum est, studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt. — Lucilius poëta in hora saepe ducentos versus dictabat stans in uno pede. — Peripatetĭci disputabant inambulantes in Lycēo. — Siderum princeps est sol, omnia clarissima luce collustrans.

## B. Passiv.

6. Virtus laudatur. — Dolores mitigantur vetustate. — Omne laudatur, quod in suo genĕre perfectum est. — Omni animāli hic appetītus a natura datur, ut se conservet. — Ex omnibus secŭlis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum. — Lucullus delectabatur mirifĭce lectione librorum. — Syracusānae mensae a Platōne gravĭter vituperantur. — Dei providentiā mundus administratur.

7. Primi dies mensium nominati sunt calendae. — Bona valetudo jucundior est iis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt. — Carmina in epŭlis Romanorum sunt cantitata a singulis convīvis de clarorum virorum laudibus. — Datum est Neptūno maritĭmum omne regnum. — Omnes jucundum motum, quo sensus hilaretur, voluptatem vocant. — Jugĕrum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset.

8. Si Alexandro vita longior data esset, Oceănum manus Macedŏnum transvolasset. — Quid homini potest dari majus quam gloria et laus et aeternĭtas? — Clitarchus narravit, Darīum apud Issum ab Alexandro esse superatum. — Caesar in expugnatione Mytilenarum corōna civĭca donatus est. — Scipio propter Afrĭcam domĭtam Africānus appellatus est. — P. Decium frondĕa corōna donavit exercĭtus ab eo servatus. — Terra mutata non mutat mores. — Sejus in aedilitate asse populo frumentum praestitit, quam ob caussam ei statuae in Capitolio et Palatio dicatae sunt; ipse supremo die populi humĕris in rogum portatus est.

## C. Deponentia.

9. Piscem Syri venerantur; omne fere genus bestiarum Aegyptii consecrarunt. — Fortuna in omni re dominatur. — Qui

domum intraverit, nos potius miretur quam supellectĭlem nostram. — Piscemur, venemur, lavemur! — Fuit quoddam tempus, cum in agris homines vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant. — Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones se tutantur. — Natura arbores cortĭce a frigŏre et calōre tutata est. — Peccatum est, fana depeculari. — Cimbri et Celtibēri in proeliis exsultant, lamentantur in morbo. — Calchas ex passĕrum numĕro belli Trojāni annos auguratus est. — Poenam semper ante oculos versari putant ii, qui peccarunt. — Apud Persas summa laus fuit, fortĭter venari.

# Zweite Conjugation.

## A. Activ.

**10.** Deum non vides. — Mors quotidie immĭnet. — Carcĕre animalia coërcemus, quibus rerum natura coelum assignavit. — Quales in republica princĭpes sunt, tales relĭqui solent esse cives. — Sol cuncta sua luce complet. — Quod in re majore valet, valeat in minore. — Omnes antīquae gentes regibus quondam paruerunt. — Utile est, amicos veros habere. — In rebus angustis animōsus atque fortis appāre. — Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrōtis damus. — Reges plurimum inter homines pollent. — Discipulos moneo, ut praeceptores non minus quam ipsa studia ament.

**11.** Impensa monumenti supervacanea est; memoria nostra durabit, si vitā meruimus. — Domitōres equorum verbĕra adhĭbent ad domandum. — Dionysius, tyrannus Syracusanorum, tondēre filias suas docuit; ita regiae virgĭnes tondebant barbam et capillum patris. — Aliena vitia in ocŭlis habemus; nostra a tergo sunt. — Struthocamēli cum colla frutĭce occultaverunt, latēre se existĭmant. — Imperiis cives sine recusatione parento. — Pythagŏras pueros modestiam et literarum studium docuit.

**12.** Quem puerum vidisti formōsum, hunc vides deformem in senectute. — Qui dedit beneficium, taceat. — Canis timĭdus vehementius latrat, quam mordet. — Quidam philo-

sŏphi censebant, nullam habere humanarum rerum procurationem deos. — Augemus dolorem retrectando. — Leontīnus Gorgias centum et septem complevit annos neque unquam in suo studio cessavit. — Permanere animos arbitramur. — Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello. — Themistŏcles persuasit populo, ut classis aedificaretur.

**13.** Romani vetĕres sibi manu sua parabant cibum, iis terra cubīle erat, eorum tecta nondum auro fulgebant, eorum templa nondum gemmis nitebant, tunc per fictĭles deos jurabatur. — M. Crassus semel in omni vita risit. — M. Valerius Corvīnus centum annos implevit. — Falsi amici serēno vitae tempore praesto sunt; simulatque hiemem fortunae viderunt, devŏlant omnes. — Omnibus, qui patriam conservarunt, adjuverunt, auxerunt, in coelo est definītus locus.

## B. Passiv.

**14.** Nova aut admirabĭli re commovetur animus. — Periculis mŏventur etiam fortissimi viri. — Themistŏcles cum in epŭlis recusaret lyram, est habitus indoctior. — Mihi videtur acerba semper mors eorum, qui immortale aliquid parant. — Oculi pictūra tenentur, aures cantibus. — Post epŭlas sermōnes haberi solent.

**15.** Tantus erat in armis splendor, ut solis fulgor obscurior videretur. — Res familiaris diligentia et parsimonia conservari et augeri solet. — Caesărem haruspĭces praemonuerant, ut diligentissime iduum Martiarum caveret diem, et uxor Calpurnia, terrĭta nocturno visu, orabat, ut eo die domi maneret.

## C. Deponentia.

**16.** Vir sapiens peccātum suum confitetur. — Multi famam, conscientiam pauci verentur. — Suos quisque debet tueri. — Difficile fuit judicare, utrum T. Pomponium Attĭcum amici magis vererentur an amarent. — Nihil ex omnibus rebus humanis est praeclarius quam de republica bene mereri. — Aristīdis Thebāni pictōris unam tabŭlam centum talentis rex Attălus licitus est.

# Dritte Conjugation.

## A. Activ.

**17.** Deum agnoscis ex operibus ejus. — O di immortales! non intellĭgunt homines, quam magnum vectīgal sit parsimonia. — Dente lupus, cornu taurus petit. — Avaritia hominem ad quodvis maleficium impellit. — Tu pulmentaria quaere sudando. — Nil agenti dies longus est. — Merenti gratias agere facile est. — Multa petentibus desunt multa. — Dionysius, Syracusanorum tyrannus, ne tonsori collum committeret, tondēre filias suas docuit.

**18.** Optimam vivendi rationem eligamus! eam jucundam consuetudo reddet. — Juppĭter nutu totum Olympum convertebat idemque et rex et pater habebatur omnium. — Philippus, rex Macedŏnum, omnia castellà expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. — Homines amplius oculis quam auribus credunt. — Is tuto vivit, qui honeste vivit. — Malum est, liberos amittere.

**19.** Numae regis lex est: Vino rogum ne respergito. — Tauris naturā datum est, ut pro vitŭlis contra leones summa vi impetuque contendant. — Decemvĭri duodecim tabŭlas perscripserunt. — Consul est, qui consŭlit patriae. — In arte fingendi praestantes fuerunt Myro, Polyclētus, Lysippus. — Romani ab arātro abduxerunt Cincinnātum, ut dictātor esset. — Justitiam cole et pietatem. — Aedificium idem destruit facillime, qui construxit. — Caesar omnes liberalium artium doctōres civitate donavit, quo libentius urbem incolerent.

**20.** Eclipses solis miramur, quia raro accĭdunt. — Jejūnus raro stomăchus vulgaria contemnit. — Coelestia semper spectato, humāna contemnito. — Xerxes, rex Persarum, inflammavit templa Graeciae, quod parietibus includerent deos. — Nihil est turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. — Multos induxit in peccatum pecuniae spes. — Romŭlus Procŭlo Julio dixit, se deum esse et Quirīnum vocari.

**21.** Mos apud Romanos hic epularum fuit, ut, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque

virtutes. — Gadibus fuit Arganthonius quidam, qui octoginta regnaverat annos, centum viginti vixerat. — Athenienses cum ad senatum Romanum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos miserunt, Carneădem et Critolāum et Diogĕnem. — Julius Caesar, annum aetatis agens sextum decimum, patrem amisit. — Socrates dicebat, animos hominum esse divinos iisque, cum ex corpore excessissent, redĭtum in coelum patēre.

## B. Passiv.

**22.** Nobĭlis equus umbrā virgae regitur; ignāvus ne calcāri quidem concitari potest. — Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur. — Melius curantur ea, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur. — Quot homines, tot sententiae; falli igitur possŭmus. — Avaritia inducti multi homines in se facinŏra admiserunt. — Dictātor a consŭle debet dici. — Gallīnae avesque reliquae pennis fovent pullos, ne frigŏre laedantur.

**23.** Omnes, quibus aqua et igni interdictum est, exsŭles appellantur. — In lege Romana est, ut de ritibus patriis colantur optimi. — Dico, providentiā dei mundum et omnes mundi partes initio constitutas esse et omni tempore administrari. — Saepe parva scintilla contempta magnum excitavit incendium. — Poëtae ita sunt dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. — In oculis animus habĭtat; ardent, intenduntur, humectant, connīvent. — Poma ex arboribus, si cruda sunt, vix avelluntur; si matūra et cocta, decĭdunt.

**24.** Memoria minuitur, nisi eam exercemus. — Deus quaedam munĕra universo humano genĕri dedit, a quibus excluditur nemo. — Cum terras nox opacavit, tum coelum totum cernimus astris distinctum et ornatum. — Omnes virtutes inter se nexae sunt. — Omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus. — Non facile dijudicatur amor verus et fictus. — Carthāgo dirŭta est, cum stetisset annos sexcentos septuaginta duos. — In oppugnationibus ante omnia solebat a Romanis sacerdotibus evocari deus, cujus in tutēla id oppĭdum erat, promittique illi idem aut amplior apud Romanos cultus.

### Verba der dritten auf io.

25. Sapĕre aude; incĭpe. — Ego mirifĭce capior facetiis. — Quod non dedit fortuna, non erĭpit. — Sum ex iis, qui mirantur antīquos; non tamen tempŏrum nostrorum ingenia despicio. — Leges a victoribus dicuntur, accipiuntur a victis. — Solarium dictum est id, in quo horae in sole inspiciebantur. — Arbŏres serit dilĭgens agricŏla, quarum aspiciet bacam ipse nunquam. — Satius est, unum aliquid insigniter facere quam plurima mediocriter. — Homines quo plura habent, eo cupiunt ampliora. — Mos antiquus fuit, primis epistolae verbis adjicere: Si vales, bene est, ego valeo.

26. T. Pomponius Attĭcus non solum celeriter arripiebat, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiabat. — Prata et arva et pecŭdum greges diliguntur, quod fructus ex iis capiuntur; hominum carĭtás et amicitia gratuīta est. — Nulla remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quae sunt salutaria. — Virtus nec erĭpi nec surrĭpi potest. — Tanta erat apud Macedŏnas veneratio Alexandri regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem praesentiă ejus excuteret. — Tarso urbi Persae subjiciebant ignem, ne opulentum oppĭdum hostis invaderet. — Socrătes interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat.

## C. Deponentia.

27. Numĭdae plerumque lacte et ferīna carne vescebantur et neque salem neque alia irritamenta gulae quaerebant. — Usitatae res facile e memoria elabuntur, insignes et novae manent diutius. — Te moneo, ut omnem gloriam omni cura atque industria consequare. — Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. — Hoc uno praestamus maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. — Non minus nostra sunt ea, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. — Manipŭlus est exercitus minima manus, quae unum sequitur signum.

28. Alexander non ducis magis quam militis munia exsequebatur. — Terra nos nascentes excĭpit, natos alit et sustĭnet semper, postrēmo complectitur gremio. — Gere morem

parenti, pare cognātis, obsequĕre amicis, obtempĕra legibus. — Stoïci dicunt, omnes esse divites, qui coelo et terra frui possint. — Loquax est, qui nimium loquitur; elŏquens, qui copiōse loquitur. — Cygni, qui Apollĭni dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videntur, cum cantu et voluptate moriuntur. — Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus secuti sunt, hi, simŭlac fortuna dilapsa est, devŏlant omnes. — Alexander magnus Jovis filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit.

**29.** Servius Tullius Etruscorum injurias bello est ultus. — T. Pomponius Attĭcus mendacium neque dicebat neque pati potĕrat. — Caesar dando, sublevando, ignoscendo gloriam adeptus est. — Praeterĭtum tempus nunquam revertitur. — Lucullus cum victor a Mithridatĭco bello revertisset, triumphavit. — Medĭci nunquam aegris dicunt, illo morbo eos esse morituros. — Feras nanciscimur venando, ut vescamur iis. — Romanorum primus Gn. Pompejus Judaeos domuit templumque ingressus est; muri Hierosolymorum dirŭti sunt, delūbrum mansit. — Postumius Tubertus, qui primus omnium ovans urbem ingressus est, myrto coronatus incessit; haec postea ovantium fuit corōna.

## Vierte Conjugation.

### A. Activ.

**30.** Non sentiunt viri fortes in acie vulnĕra. — In M. Catōne erat, ut scis, incredibĭlis avidĭtas legendi, nec satiari poterat. — Heredĭtas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervĕnit jure. — Quae res sensibus percipiuntur, eas cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. — Is est maxime docĭlis, qui attentissime est paratus audire. — Sic vive cum hominibus, tanquam deus videat; sic loquĕre cum deo, tanquam homines audiant. — Ipsi fontes jam sitiunt. — Naufrăgo manum porrigamus, erranti viam monstremus, cum esuriente panem nostrum dividamus! — Populus Romanus Numam Pompilium ad regnandum Romam Curĭbus accīvit.

**31.** Optimus est orator, qui dicendo animos audientium et docet et delectat et permŏvet. — Quis nescit, primam esse

historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? — Socrătes dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. — Quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus; concordet sermo cum vita! — Senatus est convocatus frequensque convēnit. — Nullus dolor est, quem non longinquĭtas tempŏris minuat ac molliat. — Incumbe toto pectŏre ad laudem; subvĕni patriae; opitulare amicis. — Natura oculos membrānis tenuissimis vestivit ac sepsit.

**32.** Si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito. — Si dormis, expergiscĕre; si stas, ingredĕre; si ingrederis, curre; si curris, advŏla. — Midae Phrygio, cum puer esset, dormienti formīcae in os tritĭci grana congesserunt. — Cerăsos L. Lucullus e Ponto in Italiam vexit, annisque centum viginti trans Oceănum usque in Britanniam pervenēre. — Dum suppĕtit vita, enitamur, ut mors quam paucissima, quae abolēre possit, inveniat! — Audītus semper patet; ejus enim sensu etiam dormientes egemus. — Omnis antīqua philosophia sensit, in una virtute esse posĭtam beatam vitam. — Invenio apud sapientes, honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinĕre praecesserint. — Quis est tam miser, ut non dei munificentiam senserit?

**33.** Adolescentes facilius in morbos incĭdunt quam senes, gravius aegrōtant, tristius curantur; ităque pauci veniunt ad senectutem. — M. Antonius aerarium exhauriebat, minuebat vectigalia, leges imponebat, provincias unus omnes concupiebat. — Censōres populi aetates, subŏles, familias pecuniasque censento; urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuentor; mores populi regunto; bini sunto; magistratum quinquennium habento; leges custodiunto. — Pythagorēi magnam Graeciam institutis et praeceptis suis erudierunt. — Augustus non amplius quam septem horas dormiebat. — Legendi semper occasio est, audiendi non semper. — Scito, omnes sanos mortem servituti anteponere.

## B. Passiv.

**34.** Poëtae audiuntur, leguntur, ediscuntur. — Isocrătes videbat, oratores cum severitate audiri, poëtas autem cum voluptate. — Ad salutem civium inventae sunt leges. —

T. Pomponius Attĭcus sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapĭdem. — In omnibus novis conjunctionibus intĕr-est, qualis primus adĭtus sit et qua commendatione quasi amicitiae fores aperiantur. — Haec lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes nec faciamus rogati. — Terra vestita est floribus, herbis, arboribus, frugibus.

**35.** Catilīna longe a suis inter hostium cadavĕra repertus est, paullŭlum etiam spirans. — Alexander sepulchrum Cyri jussit aperiri. Auro argentoque repletum esse crediderat, sed praeter clipeum ejus putrem et arcus duos Scythĭcos et acinăcem nihil reppĕrit. — M. Antonius redimītus hedĕris coronāque velatus aurea et thyrsum tenens cothurnisque succinctus curru velut Liber pater vectus est Alexandrīae. — In omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates quam qui hostium copias vincerent.

## C. Deponentia.

**36.** Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur. — Omnia experiri necessĭtas cogit. — Arātus magnis de rebus dicere exordiens a Jove incĭpit. — Si concordiam retinebimus, imperii magnĭtudinem solis ortu atque occāsu metiemur. — Quoties aliquid conaberis, te et ea, quae paras, metire. — Ex principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. — Non eodem semper loco sol orĭtur aut occĭdit.

**37.** Tigris fluvius oritur in montibus Uxiorum, et per quinquaginta stadia inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi. — Aristotĕles philosŏphus quattuor nota illa genĕra principiorum est complexus, e quibus omnia orerentur. — Omne animal, simul ut ortum est, et se ipsum et omnes partes suas dilĭgit. — Plerumque credimus iis, qui experti sunt. — Cedes coëmptis saltibus et domo villaque, et divitiis potietur heres. — Sol oriens et occĭdens diem noctemque effĭcit.

## Abweichende Perf. u. Sup. der 3. Conjugation.

**38.** Ubi nunc est Roma, erat olim Septimontium, nominatum ab tot montibus, quos postea urbs muris comprehen-

dit. — Caesăris animus nulla re a Cicerōne offensus est. — Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrāta in portu navis deprehensa sit, publicetur. — Carneădes philosŏphus nullam unquam rem defendit, quam non probarit. — Urbium portas vir Macĕdo muneribus diffīdit. — Darīus in fuga cum aquam turbĭdam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius. — Caesar ut animadvertit, undĭque se strictis pugionibus peti, togā caput obvolvit; atque ita tribus et viginti plagis confossus est.

**39.** Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. — Majus dedĕcus est, parta amittere quam omnīno non paravisse. — Cicero non destĭtit omnia dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent. — Perge tenere istam viam, quam instituisti: excelle dicendo; hoc tenentur homines et alliciuntur. — Q. Maximus filium consulārem amisit, et L. Paullus duo septem diebus perdidit. — Carthagĭnem Tyrii condiderunt.

**40.** Multa vocabŭla renascentur, quae jam cecidēre, cadentque, quae nunc sunt in honore. — Gravius aegrōtant ii, qui in morbum de intĕgro inciderunt. — Nunquam deĕrunt lupi, nisi silva, in quam refugere solent, erit excīsa. — Aurīga Darīi regis, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec Persae nec Macedŏnes dubitavēre, quin ipse rex esset occisus. — Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannĭdem occuparat, uxor sua noctu occīdit. — Poenas Myrtĭlum pependisse audivi.

**41.** Philippĭdes cucurrit mille centum sexaginta stadia ab Athēnis Lacedaemŏnem biduo. — Antonius in aciem suas copias produxit et sine mora concurrit. — Pecŭdes dispulsae sui genĕris sequuntur greges. — Qui saepenumĕro nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. — Tyriorum gens literas prima aut docuit aut didicit. — Dionysius tyrannus cum Syracūsis pulsus esset, Corinthi ludum aperuit.

**42.** Vulgo dicitur: Jucundi acti labores. — Milites, comĭnus pugnam coacti conserere, gladios impĭgre strinxerunt. Tum vero multum sanguinis fusum est. — Difficile est tenere, quae acceperis, nisi exerceas. — Ut sementem feceris, ita

metes. — A Q. Metello Creta insŭla in populi Romani potestatem redacta est, quae per triennium Romanos exercitus fatigaverat. — Alexander Parmeniōnem Syriae praefecit. Novum imperium Syri, nondum belli cladibus satis domiti, aspernabantur; sed celeriter subacti obedientes imperata fecerunt. — Romulus Remum interfecit et solus potītus est imperio.

**43.** Tyrus septimo mense, postquam oppugnari coepta erat, ab Alexandro capta est. — Nihil est simul inventum et perfectum. — Alexandrum omnes, ut maxime metuerunt, item plurimum dilexerunt. — Caesar cum mense Octobri in urbem revertisset, idibus Martiis interemptus est. — Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas. — Corruptus judex verum male examĭnat. — Carthaginienses foedĕra saepe ruperunt. — Poenos populus Romanus armis vicit. — Lex erat: Qui in adversa tempestate navem reliquerint, omnia amittunto; eorum navis et onĕra sunto, qui in nave remanserint. — Cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum ejus reipublicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illam civitatem optimatium arbitrio regi dicimus. — Nobilitatem peperisse melius est quam acceptam corrupisse.

**44.** Errant, qui in prospĕris rebus omnes impĕtus fortunae se putant fugisse. — Athēnis et nata et alta est eloquentia. — Pisistrătus primus Homēri libros confusos antea sic disposuit, ut nunc habemus. — Natura omnibus mortem proposuit. — Zoroastres risit eodem die, quo genitus erat. — Ganymēdes ab dis raptus est propter formam, ut Jovi bibere ministraret.

**45.** Qui gloriam spreverit, veram habebit. — Ita perculsa et prostrata foedissimo bello sunt omnia, ut sibi quisque mĭserrimus esse videatur. — Difficile est mutare animum et, si quid est penĭtus insĭtum moribus, id subĭto evellere. — Difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creverunt. — Deum colit, qui novit. — Quam quisque norit artem, in hac se exerceat! — Qui sapientes sunt, pietatem colere consuerunt.

**46.** Multi bella saepe quaesierunt propter gloriae cupiditatem. — Magna pars exercĭtus temeritate ducum saepe attrīta est. — Pansa atque Hirtius semper praedixerant Cae-

sări, ut principātum armis quaesītum armis teneret. — Par est, omnes omnia experiri, qui res magnas concupiverunt. — Non tum ingemuit Epaminondas, cum una cum sanguine vitam effluere sentiret. — Catilīna in senatu accusatus obmutuit. — Sonĭtu oppletae aures hominum saepe obsurduerunt.

## Conjugatio periphrastica.

47. Cum iis versare, qui te meliorem facturi sunt. — In corporibus aegris nihil, quod nociturum est, medĭci relinquunt. — Graeci in conviviis solebant nominare, cui pocŭlum tradituri erant. — Liber is est existimandus, qui nulli turpitudĭni servit. — Omnia, quae vindicaris in altero, tibi ipsi fugienda sunt. — Te illud admoneo, ut quotidie meditēre, resistendum esse iracundiae.

---

# Wörterverzeichniß

zu Seite 1—13, Nr. 1—47.

1. aurum, i, das Gold. probo 1, prüfe. miseria, ae, das Elend, das Unglück. fórtis, e, tapfer, standhaft, muthig. — fortūna, ae, das Glück. adjŭvo 1, unterstütze. ut est, wie es heißt. proverbium, i, das Sprüchwort. — anĭmus, i, die Seele, der Geist. consto 1, bestehe. — sapienter, weise, Adverb. cogĭto 1, denke. secundus, a, um, günstig, glücklich. casus, us, der Zufall. adversus, a, um, widrig, unglücklich; casus adversus, der Unglücksfall. reformīdo 1, fürchte, befürchte. — aedīlis, is, der Ädil, ein römischer Staatsbeamte. aedes, is, das Gebäude. sacer, cra, crum, heilig. privātus, a, um, Privatleuten gehörig; aedes privata, das Privatgebäude. procūro 1, überwache. — impŭdens, tis, unverschämt. beneficium, i, die Wohlthat. postŭlo 1, fordere. — taurus, i, der Stier. facĭle, leicht, Adverb. propulso 1, vertreibe, treibe fort. lupus, i, der Wolf.

2. aqua, ae, das Wasser. inductio, ōnis, das Hineinleiten. terra, ae, das Land. fecundĭtas, ātis, die Fruchtbarkeit. do 1, gebe. — Aegyptii, orum, die Ägyptier. puto 1, glaube, puto (deum), halte für (einen Gott). que, und, wird stets dem folgenden Worte angehängt. Apis, is, Apis. nomĭno 1, nenne. — sapiens, tis, der Weise. respublĭca, reipublicae, der Staat. pericŭlum, i, die Gefahr. vito 1, meide. — pontĭfex, ĭcis, der Oberpriester; pontifex maximus, der Oberpontifex,

das Haupt der Oberpriester. res, rei, die Begebenheit, das Ereigniß. omnis, e, aller. singŭli, ae, a, einzelne. mando 1, trage auf, übergebe; mando literis, verzeichne schriftlich, schreibe auf. — secŭlum, i, das Jahrhundert, das Seculum. spatium, i, der Zeitraum. voco 1, nenne. — Caesar, ăris, ein römischer Feldherr. mors, tis, der Tod. subĭtus, a, um, plötzlich. opto 1, wünsche. — G., abgekürzt statt Gajum. nepos, ōtis, der Enkel. soror, ōris, die Schwester. testamentum, i, das Testament. adopto 1, nehme an Kindes Statt an.

3. simŭlac, sobald als. duro 1, kräftige. aetas, ātis, das Alter. membrum, i, das Glied. anĭmus, i, s. Nr. 1. que, s. Nr. 2. no 1, schwimme. cortex, ĭcis, der Kork. — Lycurgus, i, Gesetzgeber der Lacedämonier. auctorĭtas, ātis, das Ansehen, die Beistimmung. Delphĭcus, a, um, delphisch. confirmo 1, befestige, bekräftige. — Themistŏcles, is, ein berühmter Athener. eloquentia, ae, die Beredsamkeit. praesto 1, rage hervor, zeichne mich aus. — nil = nihil, nichts. labor, ōris, die Anstrengung. mortālis, e, sterblich; mortales, die Sterblichen, die Menschen. — Hercŭles, is, ein Halbgott. fanum, i, der Tempel. arma, orum, die Waffen. simulācrum, i, das Bildniß. sudor, ōris, der Schweiß. mano 1, fließe, triefe. — exsilium, i, die Verbannung. doctrīna, ae, die Gelehrsamkeit. studium, i, die Beschäftigung, das Studium. levo 1, erleichtere, mildere.

4 amīcus, a, um, befreundet. — Diogĕnes, is, ein griechischer Philosoph. philosŏphus, i, der Philosoph. dispŭto 1, erörtere. quanto, um wieviel. rex, regis, der König. Perses, ae, der Perser. fortūna, ae, das Glück. supĕro 1, übertreffe. — Perĭcles, is, ein athenischer Staatsmann. dono, Dativ, = zum Geschenke. — Theophrastus, i, ein Philosoph. accūso 1, klage an, beschwere mich über —. natūra, ae, die Natur. quod, daß, weil. cervus, i, der Hirsch. cornix, īcis, die Krähe. diuturnus, a, um, langdauernd. tam, so. exiguus, a, um, gering, kurz. — incertus, a, um, ungewiß. locus, i, der Ort. exspecto 1, erwarte. ităque, daher. omnis, e, jeder. — ritus, us, der heilige Brauch. familia, ae, die Familie. que, s. Nr. 2. servo 1, bewahre, beobachte.

5. praeterĭtus, a, um, vergangen. muto 1, ändere. — vitiōsus, a, um, fehlerhaft. studium, i, die Beschäftigung, das Fach. vitupĕro 1, table. vitium, i, der Fehler. — Lucilius, i, ein römischer Dichter. poēta, ae, der Dichter. hora, ae, die Stunde. saepe, oft, Adverb. versus, us, der Vers. dicto 1, dictire. — Peripatetĭci, orum, die Peripatetiker, griechische Philosophen. dispŭto 1, stelle wissenschaftliche Untersuchungen an. inambŭlo 1, wandle auf und ab. Lycēum, i, das Lyceum, ein Übungsplatz zu Athen. — sidus, ĕris, das Gestirn. princeps, ĭpis, der erste. clarus, a, um, hell. collustro 1, erleuchte.

6. mitigo 1, lindere. vetustas, ātis, die lange Dauer. — omnis, e, aller, jeder. genus, ĕris, die Art, Gattung. perfectus, a, um, vollendet, vollkommen. — anĭmal, ālis, das lebende Wesen. appetītus, us, das Verlangen, der Trieb. conservo 1, erhalte. — secŭlum, i, das Jahrhundert. vix, kaum. aut, oder. nomĭno 1, nenne. par, păris, das Paar. — Lucullus, i, ein Römer. delecto 1, ergetze, erfreue. mirifĭce, wunderbar, außerordentlich, Adverb. lectio, ōnis, das Lesen, die Lectüre. — Syracusānus, a, um, syracusanisch. mensa, ae, die Tafel, Mahlzeit. Plato, ōnis, ein griechischer Philosoph. gravĭter, Adverb von gravis, e, heftig. vitupĕro 1, table. — providentia, ae, die Vorsehung. mundus, i, die Welt. administro 1, verwalte, regiere.

7. calendae, arum, der erste Monatstag, die Calenden. — valetūdo, ĭnis, das Befinden; bona valetudo, die Gesundheit. jucundus, a, um, angenehm. recreo 1, stelle wieder her. quam, nach einem Comparativ = als. nunquam, nie. aeger, gra, grum, krank. — carmen, ĭnis, das Lied. epŭlae, arum, das Gastmahl. cantĭto 1, singe. convīva, ae, der Gast. clarus, a, um, berühmt. laus, dis, das Lob, das Verdienst. — Neptūnus, i, ein Gott. maritĭmus, a, um, zum Meere gehörig; maritimum omne regnum, die ganze Herrschaft über das Meer. — motus, us, die Erregung. sensus, us, das Gefühl. hilăro 1, erheitere, erfreue. voluptas, ātis, das Vergnügen, die Lust. voco 1, nenne. — jugĕrum, i, ein Jauchert. jugum, i, das Joch, das Gespann. exăro 1, ackere auf.

8. Oceănus, i, der Ocean, das Weltmeer. manus, us, die Mannschaft, das Kriegsvolk. Macĕdo, ŏnis, der Macedonier. transvŏlo 1, gehe (eilig) über —, überschreite. — aeternĭtas, ātis, die Ewigkeit, Unsterblichkeit. — Clitarchus, i, ein griechischer Geschichtschreiber. narro 1, erzähle. Darīus, i, ein Perserkönig. Issus, i, eine Stadt. supĕro 1, überwinde. — expugnatio, ōnis, die Eroberung. Mytilēnae, arum, eine Stadt. corōna, ae, der Kranz, die Krone; corona civĭca, die Bürgerkrone. dono 1, beschenke. — P. = Publium. Decius, i, ein Römer. frondĕus, a, um, aus Laub. exercĭtus, us, das Heer. servo 1, rette. — terra, ae, das Land. muto 1, ändere. — Sejus, i, ein Römer. aedilĭtas, ātis, die Ädilität, ein obrigkeitliches Amt. frumentum, i, das Getreide. praesto 1, gebe. asse, für ein Aß (eine geringe Münze). quam ob caussam, weßhalb. statua, ae, die Bildsäule. Capitolium, i, der capitolinische Hügel in Rom. Palatium, i, der palatinische Hügel. dico 1, widme, weihe. dies supremus, der Todestag. humĕrus, i, die Schulter. porto 1, trage. rogus, i, der Scheiterhaufen.

9. Syri, orum, die Syrer, ein Volk in Asien. venĕror 1, verehre, bete an. fere, fast. consĕcro 1, vergöttere. — domĭnor 1, herrsche. — intro 1, betrete. potius, eher, mehr. miror 1, bewundere. — piscor 1, fische. venor 1, jage. lavor 1, bade. — vagor 1, schweife umher. vic-

tus, us, die Nahrung, der Lebensunterhalt. propāgo 1, pflanze fort, friste. — taurus, i, der Stier. aper, pri, der Eber. morsus, us, der Biß. tutor 1, sichere, schütze. — cortex, ĭcis, die Rinde. frigus, ŏris, die Kälte, der Frost. — peccātum, i, das Vergehen, die Sünde. fanum, i, der Tempel. depecūlor 1, beraube, plündere aus. — Cimbri, orum, die Cimbern, ein germanisches Volk. Celtibēri, orum, ein spanisches Volk. proelium, i, die Schlacht, das Treffen. exsulto 1, frohlocke, jauchze. lamentor 1, wehklage, jammere. — Calchas, ntis, ein griechischer Seher. passer, ĕris, der Sperling. numĕrus, i, die Anzahl. bellum, i, der Krieg. Trojānus, a, um, trojanisch. augŭror 1, weissage. — poena, ae, die Strafe. semper, immer. versor 1, schwebe. puto 1, glaube, meine. pecco 1, sündige. — Persae, arum, die Perser, ein Volk in Asien. fortiter, Adverb von fortis.

10. video 2, sehe. — mors, tis, der Tod. quotidie, täglich, Adverb. immineo 2, stehe bevor. — carcer, ĕris, der Kerker. anĭmal, ālis, das Thier. coërceo 2, schließe ein, sperre ein. rerum natūra, die Natur. coelum, i, der Himmel. assigno 1, weise an. — princeps, ĭpis, der Erste, der Vornehme. relĭquus, a, um, übrig. soleo 2, pflege. civis, is, der Bürger. — cunctus, a, um, aller. compleo 2, erfülle. — valeo 2, gelte. — gens, tis, das Volk. quondam, ehemals. pareo 2, gehorche. — utĭlis, e, nützlich. verus, a, um, wahr. — res, der Umstand, die Lage. angustus, a, um, bedrängt, mißlich. animōsus, a, um, beherzt. appareo 2, erscheine. — facĭle, leicht, Adverb. cum, wenn. valeo 2, bin gesund. rectus, a, um, richtig, gut. consilium, i, der Rathschlag. aegrōtus, a, um, krank. — polleo 2, vermag. — praeceptor, is, der Lehrer. minus, wenĭger, Adverb.

11. impensa, ae, der Aufwand, die Kosten. monumentum, i, das Denkmal. supervacaneus, a, um, überflüssig, unnöthig. memoria, ae, das Andenken. duro 1, dauere, bestehe fort. mereo 2, verdiene. — domĭtor, ōris, der Bändiger. adhibeo 2, wende an. — tyrannus, i, der Gewaltherrscher, Tyrann. Syracusāni, orum, die Syracusaner, Einwohner der Stadt Syracus. tondeo 2, schere, rasire. doceo 2, lehre. ita, so, daher. regius, a, um, königlich. virgo, ĭnis, die Jungfrau. barba, ae, der Bart. capillus, i, das Haupthaar. — aliēnus, a, um, fremd. vitium, i, der Fehler. tergum, i, der Rücken; a tergo, im Rücken, hinter uns. — struthocamēlus, i, der Strauß (Vogel). collum, i, der Hals. frutex, ĭcis, die Staude. occulto 1, verstecke. lateo 2, bin verborgen. existĭmo 1, glaube. — imperium, i, der Befehl (der Regierung). recusatio, ōnis, die Weigerung, Widerrede. — Pythagŏras, ae, ein Philosoph. modestia, ae, die Bescheidenheit. litĕrae, arum, die Wissenschaften.

12. puerum, als Knaben, in seiner Kindheit. formōsus, a, um, schön. deformis, e, entstellt, unschön. — beneficium, i, die Wohlthat.

taceo 2, schweige. — timĭdus, a, um, furchtsam. vehementius, Adv. im Comparativ von vehĕmens, heftig. latro 1, belle. mordeo 2, beiße. — censeo 2, glaube. humānus, a, um, menschlich. procuratio, ōnis, die Fürsorge für —. — augeo 2, vermehre, vergrößere. retrecto 1, betrachte, denke darüber nach. Leontīnus, a, um, aus (der Stadt) Leontini. Gorgias, ae, ein Philosoph. compleo 2, erfülle; compleo centum annos, verlebe volle hundert Jahre. neque, und nicht; neque unquam, und nie. studium, i, die Beschäftigung, das Studium. cesso 1, lasse nach. — permaneo 2, dauere fort. animus, i, die Seele. arbĭtror 1, glaube. — Italia, ae, Italien. primum, zum ersten Male. Pyrrhus, i, ein König von Epirus. — Themistŏcles, is, ein Athener. persuadeo 2, überrede (dich, tibi). classis, is, die Flotte. aedifĭco 1, erbaue.

13. paro 1, verschaffe. cibus, i, die Speise. terra, ae, der Boden. cubīle, is, die Lagerstätte. tectum, i, das Dach, das Haus. nondum, noch nicht. fulgeo 2, erglänze. gemma, ae, der Edelstein. niteo 2, schimmere, strahle. tunc, damals. per, bei. fictĭlis, e, irden, von Thon. jurabatur, man schwor. — M. = Marcus. Crassus, ein Römer. omnis, e, ganz. — Valerius Corvinus, ein Römer. serēnus, a, um, ungetrübt. praesto sum, bin zur Hand. simulatque, sobald als. hiems, is, der Sturm, die Ungunst. devŏlo 1, eile davon. — conservo 1, schütze. adjŭvo 1, unterstütze, helfe. augeo 2, vergrößere, bringe empor. definītus, a, um, bestimmt. locus, i, der Platz.

14. novus, a, um, neu. aut, oder. admirabĭlis, e, wunderbar. commoveo 2, bewege, rege auf. — etiam, auch. — Themistŏcles, is, ein Feldherr und Staatsmann von Athen. epŭlae, arum, ein Gastmahl. recūso 1, weise zurück. lyra, ae, die Leier. habeo 2, halte für —. indoctus, a, um, ungebildet. — video 2, sehe, videor, scheine. acerbus, a, um, herbe, schmerzlich. semper, immer. immortalis, e, unsterblich. paro 1, habe vor. — pictūra, ae, die Malerei. teneo 2, fessele. cantus, us, der Gesang. — sermo, ōnis, das Gespräch. habeo 2, halte.

15. arma, orum, die Waffen. splendor, ōris, der Glanz. fulgor, ōris, der Glanz, der Schimmer. obscūrus, a, um, dunkel. — res familiāris, das Hauswesen, das Vermögen. diligentia, ae, die Sorgfalt. parsimonia, ae, die Sparsamkeit. conservo 1, erhalte. — Caesar, ăris, ein römischer Feldherr. haruspex, ĭcis, der Opferschauer, der Weissager. praemoneo 2, ermahne voraus. diligentissĭme, Superlativ des Adverbs von dilĭgens, sorgfältig. idus Martiae, der fünfzehnte März. caveo 2 diem, hüte mich vor dem Tage. uxor, ōris, die Frau, Gattinn. terreo 2, erschrecke. nocturnus, a, um, nächtlich. visus, us, die Erscheinung, das Gesicht. oro 1, bitte. domi, zu Hause.

16. sapiens, tis, weise. peccātum, i, der Fehler. confiteor 2, gestehe. — fama, ae, der Ruf, das Gerücht. conscientia, ae, das Ge-

wissen. pauci, ae, a, wenige. vereor 2, verehre, achte hoch, scheue. — debeo 2, muß. tueor 2, schütze. judĭco 1, beurtheile. utrum — an, ob — oder. T. = Titum. Pomponius Atticus, ein Römer. magis, mehr, Adverb. — humānus, a, um, menschlich. praeclārus, a, um, vortrefflich, herrlich. bene, gut, Adverb. mereor 2, mache mich verdient. — Aristīdes, is, ein Grieche. Thebānus, a, um, thebanisch. pictor, ōris, der Maler. tabŭla, ae, das Gemälde. talentum, i, das Talent (eine Geldsumme, ungefähr 2400 Gulden). — liceor 2 tabulam talento, biete auf ein Gemälde ein Talent.

17. agnosco 3, erkenne. opus, ĕris, das Werk. — immortālis, e, unsterblich. intellĭgo 3, sehe ein. quam, wie. vectīgal, ālis, die Einnahme, der Zoll. parsimonia, ae, die Sparsamkeit. — lupus, i, der Wolf. taurus, i, der Stier. peto 3, greife an. — avaritia, ae, die Habsucht. maleficium, i, die Übelthat. impello 3, treibe an. — pulmentarium, i, schmackhafte Kost. quaero 3, suche. sudo 1, schwitze, arbeite. — nil = nihil, nichts. ago 3, thue. — merens, tis, der es verdient, würdig. gratia, ae, der Dank; gratias ago 3, sage Dank. — peto 3, verlange. desum, fehle. — Syracusāni, orum, die Syracusaner, Einwohner der sicilischen Stadt Syracus. tyrannus, i, der Alleinherrscher. ne, damit nicht. tonsor, is, der Barbier. collum, i, der Hals. committo 3, vertraue an.

18. vivo 3, lebe. ratio, ōnis, die Art und Weise. elĭgo 3, erwähle. consuetūdo, ĭnis, die Gewohnheit. jucundus, a, um, angenehm; jucundum reddo 3, mache angenehm. — nutus, us, der Wink. Olympus, i, der Olymp, ein hoher Berg, auf dem die Götter ihren Wohnsitz hatten. converto 3, kehre um. et — et, sowohl — als auch. habeo 2, halte für —. — Macĕdo, ŏnis, der Macedonier. castellum, i, das Castell, die Citadelle, die Festung. expugno 1, erobere. dico 3, sage. modo, nur. asellus, i, das Eselchen. onustus, a, um, beladen. ascendo 3, steige hinauf. — amplius, mehr. auris, is, das Ohr. credo 3, glaube. — tuto, sicher, Adverb. honestus, a, um, tugendhaft. — malum, i, das Übel, das Unglück. libĕri, orum, die Kinder. amitto 3, verliere.

19. Numa, ae, ein römischer König. — rogus, i, der Scheiterhaufen. respergo 3, bespritze. — taurus, i, der Stier. natură, von Natur. vitŭlus, i, das Kalb. impĕtus, us, die Heftigkeit. contendo 3, kämpfe. — decemvĭri, orum, die Zehnmänner, eine römische Staatsbehörde. tabŭla, ae, das Tafelgesetz. perscrībo 3, verfasse. — consul, ŭlis, der Consul, der höchste Staatsbeamte in Rom. consŭlo 3 patriae (Dativ), sorge für das Vaterland. — ars, tis, die Kunst. fingo 3, bilde; ars fingendi, die Bildhauerkunst. praestans, tis, ausgezeichnet. — arātrum, i, der Pflug. abdūco 3, führe weg. Cincinnātus, i, ein Römer. dictātor, ōris, der Dictator, der in besonderen Fällen ernannte unumschränkte Gebie-

ter zu Rom. — justitia, ae, die Gerechtigkeit. colo 3, übe. piĕtas, ātis, die Frömmigkeit. — aedificium, i, das Gebäude. destruo 3, breche ab. facillime, Superlativ des Adverbs von facilis. construo 3, erbaue, richte auf. — liberālis, e, frei. ars, tis, die Kunst, die Wissenschaft. doctor, ōris, der Lehrer. civĭtas, ātis, das Bürgerrecht. dono 1, beschenke. quo, damit desto. libentius, lieber, Comparativ des Adverbs von libens, gerne. — urbs, bis, die Stadt. incŏlo 3, bewohne.

20. eclipsis (is) solis, die Sonnenfinsterniß. quia, weil. raro, selten, Adverb. accĭdo 3, ereigne mich, finde Statt. — jejūnus, a, um, nüchtern. stomăchus, i, der Magen. vulgāris, e, alltäglich. contemno 3, verachte, verschmähe. — coelestis, e, himmlisch. specto 1, habe im Auge. humānus, a, um, menschlich, irdisch. — inflammo 1, entflamme, zünde an. quod, weil. paries, ĕtis, die Wand. inclūdo 3, schließe ein. — turpis, e, schändlich. gero 3, führe. quicum, der Abl. qui, s. Gr. §. 79, 1 A., und die Präposition cum. familiariter, freundschaftlich, vertraut, Adverb. — indūco 3, verleite. peccātum, i, die Sünde. spes pecuniae (Genitiv), die Hoffnung auf Geld. — voco 1, nenne.

21. mos epularum, der Brauch bei einem Gastmahle. accŭbo 1, liege bei Tische. cano 3, singe, besinge tibia, ae, die Flöte. clarus, a, um, berühmt. laus, dis, s. Nr. 7. — Gades, ium, eine Stadt; Gadibus (Abl.), zu Gades. regno 1, bin König, regiere. — senātus, us, der Senat, die Rathsversammlung. legātus, i, der Gesandte. magnus, a, um, wichtig. res, die Angelegenheit. mitto 3, schicke. aetas, ātis, das Zeitalter. nobĭlis, e, berühmt. — annus (i) aetatis, das Lebensjahr. ago 3, bringe zu, annum ago, stehe in einem Jahre. amitto 3, verliere. — animus, i, die Seele. divīnus, a, um, göttlich. que, s. Nr. 2. excēdo 3, gehe heraus. redĭtus, us, die Rückkehr. pateo 2, stehe frei.

22. nobĭlis, e, edel. umbra, ae, der Schatten. virga, ae, die Ruthe, Peitsche. ignāvus, a, um, faul. ne — quidem, nicht einmal. calcar, āris, der Sporen. concĭto 1, treibe an, setze in Galopp. — diuturnus, a, um, dauerhaft. possessio, ōnis, der Besitz. indūco 3, führe ein. — curo 1, besorge. consilium, i, die Einsicht. gero 3, führe aus, vollziehe. administro 1, verwalte, leite. — sententia, ae, die Meinung, Ansicht. fallo 3, täusche. igĭtur, daher. — avaritia, ae, die Habsucht. indūco 3, verleite. facĭnus, ŏris, die Missethat. in me admitto 3, lasse mir zu Schulden kommen, lade auf mich. — dictator, s. Nr. 19. consul, s. Nr. 19. debeo 2, muß. dico 3, ernenne. — gallīna, ae, die Henne. relĭquus, a, um, übrig. penna, ae, die Feder. foveo 2, erwärme. pullus, i, das Junge. laedo 3, verletze, beschädige.

23. interdīco 3, untersage; mihi aqua et igni interdicitur, ich werde geächtet. exsul, ŭlis, der Verbannte. appello 1, nenne. — est, es steht.

ritus, us, der Gebrauch. patrius, a, um, väterlich. colo 3, beobachte. — providentia, ae, die Vorsehung, Fürsorge. mundus, i, die Welt. initio, anfangs, im Anfange. constituo 3, begründe, richte ein. administro 1, verwalte. — scintilla, ae, der Funken. contemno 3, beachte nicht. excīto 1, errege, fache an. incendium, i, der Brand. — dulcis, e, lieblich. non modo — sed etiam, nicht nur — sondern auch. lego 3, lese. edisco 3, lerne auswendig. — habĭto 1, wohne. ardeo 2, brenne, glühe. intendo 3, strenge an. humecto 1, thräne, werde feucht. conniveo 2, blinzle, sage zu. — poma, orum, das Obst. crudus, a, um, roh, unreif. vix, kaum, mit Mühe. avello 3, reiße ab. matūrus, a, um, reif. coctus, a, um, mürbe, von coquo 3, koche. decĭdo 3, falle herab.

24. memoria, ae, das Gedächtniß. minuo 3, verringere. nisi, wenn nicht. — munus, ĕris, die Gabe. universus, a, um, gesammt, ganz. exclūdo 3, schließe aus. — opāco 1, beschatte. tum, dann. cerno 3, sehe, schaue. astrum, i, das Gestirn. distinguo 3, besetze. orno 1, schmücke aus. — cognitio, ōnis, das Erkennen, die Erkenntniß. obstruo 3, verbaue, hemme. difficultas, ātis, die Schwierigkeit. — facile, leicht, Adverb. dijudĭco 1, unterscheide. amor, ōris, die Liebe. fingo 3, erdichte. — diruo 3, zerstöre. — oppugnatio, ōnis, die Belagerung, Bestürmung. sacerdos, ōtis, der Priester. evŏco 1, rufe heraus. tutēla, ae, der Schutz. oppĭdum, i, die Stadt. promitto 3, verspreche. aut, oder. amplus, a, um, reichlich, groß. cultus, us, die Verehrung, der Cult.

25. sapio 3, bin weise. audeo 2, wage. incipio 3, fange an. — mirifice, wunderbar, außerordentlich, Adverb. capio 3, fessele. facetiae, arum, Witze, launige Einfälle. — fortūna, ae, das Schicksal. eripio 3, entreiße. — tamen, doch, jedoch. ingenium, i, der Geist, der talentvolle, gute Kopf. despicio 3, verachte. — victor, ōris, der Sieger. dico 3, bestimme, gebe. accipio 3, empfange, nehme an. victus, a, um, besiegt. — solarium, i, die Sonnenuhr. dico 3, nenne. in sole, beim Sonnenschein. inspicio 3, sehe. — sero 3, säe, pflanze. dilĭgens, tis, sorgfältig. agricŏla, ae, der Landmann. aspicio 3, erblicke. baca, ae, die Beere, die Frucht. nunquam, nie. — satius est, es ist besser. insigniter, ausgezeichnet, meisterhaft, Adverb. mediŏcris, e, mittelmäßig. — quo, je; eo, desto. amplus, a, um, groß, ansehnlich. — epistŏla, ae, der Brief. verbum, i, das Wort. adjicio 3, füge bei. valeo 2, bin gesund. bene, gut, Adverb.

26. T. = Titus. non solum, nicht nur. arripio 3, fasse auf. trado 3, lehre. excellenter, ausgezeichnet, Adverb. pronuntio 1, trage vor. — pratum, i, die Wiese. arvum, i, die Flur. grex, gis, die Heerde. dilĭgo 3, liebe, schätze hoch. fructus, us, der Vortheil, der Nutzen. capio 3, ziehe. carĭtas, ātis, die Liebe. gratuĭtus, a, um, uneigennützig. — reme-

dium, i, das Heilmittel. vulnus, ĕris, die Wunde. adhibeo 2, wende an. tam — quam, in dem Grade — als. facio 3, mache, bewirke. — nec — nec, weder — noch eripio 3, entreiße, raube. surrĭpio 3, entziehe heimlich, stehle. — Macedŏnas, griech. Accusativ, s. Gr. §. 42, 4. veneratio, ōnis, die Verehrung. facile, leicht, Adverb. horreo 2, fürchte. cogitatio, ōnis, der Gedanke, — periculi, an die Gefahr. praesentia, ae, die Gegenwart. excutio 3, verscheuche. — Tarsus, i. subjicio 3, lege unter. ne, damit nicht. opulentus, a, um, reich, wohlhabend. oppĭdum, i, die Stadt. hostis, is, der Feind. invādo 3, reiße an mich. — interrŏgo 1, frage. elicio 3, locke heraus. opinio, ōnis, die Meinung, Ansicht. quibuscum, Gr. §. 139 A. 1. dissĕro 3, spreche.

27. Numĭda, ae, der Numidier (in Africa). plerumque, meistentheils. ferīnus, a, um, von wilden Thieren. caro ferina, das Wildpret. vescor 3, lebe. neque—neque, weder—noch. irritamentum, i, das Reizmittel. gula, ae, der Schlund, der Gaumen. quaero 3, suche. — usitātus, a, um, gewöhnlich. facĭle, leicht, Adverb. memoria, ae, das Gedächtniß. elābor 3, entfalle. insignis, e, auffallend, außerordentlich. diutius, länger, Adverb. — cura, ae, die Sorgfalt. industria, ae, die Thätigkeit, der Fleiß. consĕquor 3, suche zu erreichen. — imperātor, ōris, der Feldherr. gemo 3, seufze. sequor imperatorem, folge dem Feldherrn. — praesto 1 tibi, übertreffe dich. maxime, am meisten. fĕra, ae, das wilde Thier, das Thier. quod, daß. collŏquor 3, unterrede mich. inter nos, mit einander, gegenseitig. exprĭmo 3, drücke aus. sensa, orum, die Empfindungen, Gefühle. — minus, weniger, Adverb. complector 3, umfasse. intueor 2, schaue an. — manipŭlus, i, der Manipel. manus, us, die Schaar, die Abtheilung. signum, i, das Feldzeichen.

28. non magis—quam, nicht mehr — als, oder mit Umstellung der Glieder: ebenso sehr — als. dux, cis, der Feldherr. munia, die Pflichten, die Geschäfte, s. Gr. §. 48. exsĕquor 3, erfülle, vollziehe. — excipio 3, nehme auf. alo 3, nähre. sustineo 2, unterhalte. postrēmo, zuletzt, Adverb. gremium, i, der Schoos. — gero 3 morem, gehorche, willfahre. parens, tis, der Vater, die Mutter. pareo 2, gehorche. cognātus, i, der Blutsverwandte. obsĕquor 3, füge mich. obtempĕro 1, leiste Folge. — Stoĭcus, i, der stoische Philosoph, der Stoiker. fruor 3 re, genieße eine Sache. — loquax, ācis, geschwätzig, schwatzhaft. nimium, zu viel. elŏquens, tis, beredt. copiōse, wortreich, mit Wortfülle. — cygnus, i, der Schwan. dico 1, weihe. quod, weil. divinatio, ōnis, das Ahnungsvermögen, die Weissagungsgabe. videor 2, scheine. cantus, us, der Gesang. voluptas, ātis, das Vergnügen, die Freude. — fortuna, s. Gr. §. 52. indūco 3, verleite. amicitia, ae, die Freundschaft. sequor 3, suche, pflege. simŭlac, sobald als. dilābor 3, zerfalle, weiche. devŏlo

1, s. Nr. 13. — non solum—sed etiam, nicht nur — sondern auch. appello 1, nenne. patior 3, gestatte.

29. Etrusci, orum, die Etrusker (in Italien). injuria, ae, die Ungerechtigkeit. — T. = Titus. mendacium, i, die Lüge. neque — neque, weder — noch. patior 3, leide, ertrage. — sublĕvo 1, unterstütze, helfe. ignosco 3, verzeihe. adipiscor 3, erlange. — praeterĭtus, a, um, vergangen. nunquam, niemals, nie. revertor 3, kehre wieder, kehre zurück. — victor, ōris, der Sieger, siegreich. Mithridatĭcus, a, um, mithridatisch. triumpho 1, triumphire, feiere einen Triumph. — medĭcus, i, der Arzt. aeger, gra, grum, krank. — fera, ae, das wilde Thier. nanciscor 3, erlange, bekomme. venor 1, jage. vescor 3 re, esse eine Sache. — Romanorum primus, zuerst unter den Römern. Gn. = Gnaeus. Judaei, orum, die Juden. domo 1, bezwinge. ingredior 3, betrete. murus, i, die Mauer. Hierosolўma, orum, Jerusalem. diruo 3, zerstöre. delūbrum, i, das Heiligthum, der Tempel. — ovans, zu Fuße (oder zu Pferde) triumphirend. myrtus, i, der Myrtenbaum, das Myrtenlaub. corōno 1, bekränze. incēdo 3, schreite einher, ziehe ein. postea, nachher, Adverb.

30. sentio 4, fühle. acies, ēi, die Schlacht. vulnus, ĕris, die Wunde. — M.=Marco. Cato, ōnis, Cato. ut, wie. scio 4, weiß. incredibĭlis, e, unglaublich. avidĭtas, ātis, die Begierde. lego 3, lese. nec, und nicht. satio 1, sättige. — heredĭtas, ātis, die Erbschaft. pecunia, ae, das Vermögen, die Geldsumme. pervenio 4, gelange. jus, ris das Recht; jure, rechtmäßig. — sensus, us, der Sinn. percipio 3, erfasse. cerno 3, sehe. gusto 1, koste, schmecke. olfacio 3, rieche. tango 3, berühre, betaste. — docĭlis, e, gelehrig. attente, Adv. von attentus, aufmerksam. parātus, a, um, bereit. — sic, so. tanquam, als ob. — jam, schon, bereits. sitio 4, durste. — naufrăgus, a, um, schiffbrüchig. porrĭgo 3, reiche dar. erro 1, irre, gehe irre. monstro 1, zeige. esurio 4, hungere. divĭdo 3, theile. — populus, i, das Volk. regno, s. Nr. 21. Romam, nach Rom; Curĭbus, von Cures (Cures, ium); bei den Städtenamen bleiben die Präpositionen in, ab und ex weg, und die Singularia der 1. und 2. Declination stehen auf die Frage wo? im Genitiv. accio 4, rufe herbei, berufe.

31. orātor, ōris, der Redner. animus, i, das Gemüth. et — et, s. Nr. 18. doceo 2, belehre. delecto 1, ergetze. permoveo 2, rühre. — historia, ae, die Geschichte. ne quid falsi, daß nichts Falsches, Unwahres. — satis, genug, hinlänglich. elŏquens, tis, beredt. — sentio 4, fühle, denke. concordo 1, stimme überein, bin im Einklang. sermo, ōnis, die Rede. — senātus, us, der Senat. convŏco 1, rufe zusammen. frequens, tis, zahlreich. convenio 4, komme zusammen. — longinquĭtas, ātis, die Länge. minuo 3, mindere. mollio 4, lindere. — incumbo 3 ad laudem, strebe nach Lob, Ruhm. pectus, ŏris, die Brust, die Seele. subvenio 4, komme zu Hülfe. opitŭlor 1, stehe bei, springe bei. — membrāna, ae, die

Haut. tenuis, e, fein, zart. vestio 4, bekleide. ac, und. sepio 4, umzäune, umgebe.

32. bucca, ae, der Backen, der Mund. — dormio 4, schlafe. expergiscor 3, erwache. ingredior 3, gehe. curro 3, laufe. advŏlo 1, fliege herbei. — Midas, ae, ein König von Phrygien. formīca, ae, die Ameise. tritĭcum, i, der Waizen. granum, i, das Korn. congĕro 3, trage zusammen. — cerăsus, i, der Kirschbaum. L.=Lucius. Pontus, i, eine Landschaft am schwarzen Meere. vĕho 3, führe, bringe trans, über —. Oceănus, i, der Ocean, das Weltmeer. usque in, bis nach. pervenio 4, gelange. — dum, solange als. suppĕto 3, reiche hin, dauere. enītor 3, strebe eifrig. quam paucissima, so Weniges als möglich. aboleo 2, schaffe ab, vernichte. invenio 4, finde. — audītus, us, das Gehör. pateo 2, stehe offen. sensus, us, der Sinn. egeo 2 re, bedarf einer Sache, brauche sie. — philosophia, ae, die Philosophie. sentio 4, meine, habe die Ansicht. unus, a, um, allein. posĭtus sum, liege, beruhe. — sapiens, tis, der Weise, der Philosoph. honestus, a, um, ehrenvoll. majōres, um, die Vorfahren, Ahnen. vestigium, i, der Fußstapfen. si modo, wenn anders. rectus, a, um, recht. iter, inĕris, der Weg. praecēdo 3, gehe voran. — munificentia, ae, die Mildthätigkeit.

33. adolescens, tis, der Jüngling. incĭdo 3, falle hinein. aegrōto 1, erkranke. tristius, mit mehr Bekümmerniß. curo 1, heile. ităque, daher. — M.=Marcus. aerarium, i, der Staatsschatz, die Staatscasse. exhaurio 4, erschöpfe, mache leer. minuo 3, verringere. vectīgal, ālis, die Staatseinnahme. impōno 3, dränge auf. provincia, ae, die Provinz. unus, allein. concupio 3, begehre. — censor, ōris, der Censor, ein römischer Staatsbeamte. aetas, ātis, das Alter, die Altersklasse. subŏles, is, die Nachkommenschaft. familia, ae, das Hausgesinde, die Sklaven. pecunia, ae, das Vermögen. censeo 2, verzeichne. tueor 2, habe in Obhut. magistrātus, us, das Amt. quinquennium, i, eine Zeit von fünf Jahren. custodio 4, überwache. — Pythagorēi, die Pythagoreer, Anhänger des Philosophen Pythagoras. magna Graecia, Großgriechenland = Unteritalien. institūtum, i, die Einrichtung. praeceptum, i, die Lehre. — Augustus, i, der erste römische Kaiser. amplius, mehr, länger, Adverb. — occasio, ōnis, die Gelegenheit. — sanus, a, um, gesund, vernünftig. antepōno 3, ziehe vor.

34. edisco 3, lerne auswendig. — orātor, ōris, der Redner. severĭtas, ātis, der Ernst. autem, aber. — salus, ūtis, das Wohl, die Wohlfahrt. invenio 4, erfinde. — T.=Titus. via Appia, ae, die appische Straße, die von Rom nach Capua führte. lapis, ĭdis der Meilenstein. — conjunctio, ōnis, die Verbindung. interest, es ist wichtig. adĭtus, us, der Zutritt. commendatio, ōnis, die Empfehlung. quasi, gleichsam, so zu sagen. fores, ium, die Pforten. aperio 4, öffne. — sancio 4, setze fest; haec lex sanciatur, dieses möge als Gesetz festgestellt werden. neque — nec, weder —

noch. rogo 1, bitte. turpis, e, schändlich, sittlichschlecht. facio, 3, thue. — herba, ae, das Kraut. frugibus, s. Gr. §. 48.

35. longe, weit, fern, Adverb. hostis, is, der Feind. reperio 4, finde. paullŭlum etiam, noch ein wenig. spiro 1, athme. — sepulchrum, i, das Grabmal. Cyrus, i, der Gründer des Perserreiches. aperio 4, öffne. repleo 2, fülle an. credo 3, glaube. sed, aber. clipeus, i, der Schild. puter, tris, tre, verfault. arcus, us, der Bogen. Scythĭcus, a, um, scythisch. acinăces, is, g. masc., der kurze (persische) Säbel. nihil, nichts. reperio 4, finde. — redimio 4, umwinde. hedĕra, ae, Epheu, Epheuranke. velo 1, bedecke. aureus, a, um, golden. thyrsus, i, der Bacchusstab. cothurnus, i, der Hochschuh, der Cothurn. succingo 3, umgürte, bekleide, versehe, statte aus. currus, us, der Wagen; curru vehor 3, fahre auf einem Wagen. velut, gleichwie. Alexandrīa, ae, eine Stadt in Ägypten, s. Nr. 30 a. E. — secŭlum, i, das Jahrhundert. pauciores s. Gr. §. 61, 2. cupidĭtas, ātis, die Begierde, die Leidenschaft. copia, s. Gr. §. 52. vinco 3, besiege.

36. vultus, us, die Miene. persaepe, sehr oft. mentior 4, lüge, täusche. — experior 4, versuche. necessĭtas, ātis, die Noth. cogo 3, zwinge. — Arātus, i, ein Dichter. exordior 4, beginne. incipio 3, fange an, a Jove, mit Juppiter. — concordia, ae, die Eintracht. retineo, 2, bewahre. imperium, i, die Herrschaft, das Reich. magnitūdo, ĭnis, die Größe. ortus, us, der Aufgang. atque, und. occāsus, us, der Untergang. metior 4, messe. — quoties, wie oft, so oft. conor 1, habe vor. principium, i, der Anfang, Uranfang. orior 4, entstehe. autem, aber. nascor 3, entstehe, gehe hervor. — locus, i, der Ort, s. Gr. §. 53, 3. occĭdo 3, gehe unter.

37. orior 4, entspringe. Uxii, orum, ein Volk in Asien. stadium, i, das Stadium, ein Maß von 125 Schritten oder 625 Fuß. saxum, i, der Felsen. devolvo 3, wälze; devolvor, wälze mich. accipio 3, nehme auf. deinde, dann, hierauf. campus, i, die Ebene. — notus, a, um, bekannt. genus, ĕris, die Art. principium, i, das Element, der Grundstoff. complector 3, nehme an. orior 4, entstehe. — anĭmal, ālis, das lebende Wesen. simul ut, sobald als. et—et, s. Nr. 18. dilĭgo 3, liebe. — plerumque, meistentheils. credo 3, glaube. experior 4, erfahre, mache Erfahrung. — cedo 3, weiche. coëmptus, a, um, zusammengekauft. saltus, us, die Waldtrift. villa, ae, das Landgut. divitiae, arum, der Reichthum, die Schätze. potior 4, nehme Besitz von —. heres, ēdis, der Erbe. — efficio 3, bewirke.

38. ubi, wo. nŭnc, jetzt. olim, einst. Septimontium, i, der Umkreis der sieben Hügel. nomĭno 1, benenne. postea, nachher. murus, i, die Mauer. comprehendo 3, umfasse. — rostrātus, a, um, mit einer schnabelförmigen Spitze versehen. deprehendo 3, treffe an. publĭco 1,

mache zu Staatseigenthum. — nullus unquam, nie einer. probo 1, beweise, mache glaublich. — vir Macĕdo, nämlich der König Philipp. munus, ĕris, das Geschenk. diffindo 3, zerspalte, öffne. — fuga, ae, die Flucht. turbĭdus, a, um, trüb. nego 1, verneine; nego unquam, sage, daß nie. jucundius, Comparativ des Adverbs von jucundus, angenehm, lieblich. — ut, als. animadverto 3, bemerke, undĭque, von allen Seiten, Adverb. stringo 3, ziehe, zücke. peto 3, greife an. toga, ae, die Toga, das Oberkleid des römischen Bürgers zur Friedenszeit. obvolvo 3, verhülle. ita, so. plaga, ae, der Streich, der Stich. confodio 3, durchbohre.

39. imperium, i, die Herrschaft. facile, leicht, Adv. ars, tis, das Mittel. retineo 2, behaupte. initio, im Anfange, anfangs. pario 3, erwerbe. — dedĕcus, ŏris, die Unehre, Schande. amitto 3, verliere. omnīno, überhaupt, ganz und gar. paro 1, erwerbe. — desisto 3, lasse ab. concordia, ae, die Eintracht. pertineo 2, beziehe mich. — pergo 3, fahre fort. teneo 2, halte fest, halte ein. insisto 3, betrete. excello 3, zeichne mich aus. teneo 2, fessele. allicio 3, locke an. — Q. = Quintus. consulāris, is, der Consular, d. i. einer der Consul gewesen ist. amitto 3, verliere. — condo 3, gründe, erbaue. Tyrii, orum, die Tyrier, die Einwohner der Stadt Tyrus.

40. vocabŭlum, i, das Wort. renascor 3, erstehe wieder. cado 3, komme außer Brauch, komme ab. honos, ōris, die Ehre, die Geltung. — gravius, schwerer, Comparativ des Adverbs. aegrōto 1, bin krank. de intĕgro, von neuem. incĭdo 3, falle. — desum, fehle. lupus, i, der Wolf. nisi, wenn nicht. silva, ae, der Wald. refugio 3, fliehe zurück. excīdo 3, haue aus, rode aus. — aurīga, ae, der Wagenlenker. hasta, ae, der Speer. transfīgo 3, durchbohre. nec—nec, weder—noch. dubĭto 1, zweifle. quin, daß. occīdo 3, tödte. — tyrannis, ĭdis, die Gewaltherrschaft. occŭpo 1, reiße an mich. uxor, ōris, die Gattinn. noctu, Nachts. — poena, ae, die Buße, die Strafe. — pendo 3, bezahle, erleide.

41. stadium, s. Nr. 37 im Anf. Lacedaemŏnem, nach L., s. Nr. 30. biduum, i, eine Zeit von zwei Tagen. — acies, ēi, die Schlacht. copiae, arum, die Truppen, das Heer. prodūco 3, führe vor. mora, ae, die Zögerung, der Verzug. concurro 3, treffe zusammen, kämpfe. — dispello 3, treibe aus einander. — saepenumĕro, oft. fides, ĕi, das gegebene Wort. fallo per fidem, täusche durch Mißbrauch des gegebenen Versprechens. oratio, ōnis, die Rede, die Worte habeo fidem, messe Glauben bei. — aut — aut, entweder — oder. Syracūsae, arum, die Stadt Syracus; über den Ablativ, sowie über den Genitiv Corinthi s. Nr. 30. ludus, i, die Schule. aperio 4, eröffne, richte ein.

42. vulgo, allgemein. jucundi, dabei ist sunt ausgelassen. — comĭnus, im Handgemenge, in der Nähe, Adverb. cogo 3, zwinge. consĕro 3, füge zusammen; consĕro pugnam, beginne den Kampf, kämpfe. impĭgre,

unverdrossen, Adverb. stringo 3, ziehe, zücke. tum, dann. vero, aber. multum sanguinis, viel Blut. — teneo 2, halte fest, behalte. accipio 3, empfange, lerne. exerceo 2, übe. — ut—ita, wie so. sementis, is, die Saat. — Q.=Quinto. insŭla, ae, die Insel. potestas, ātis, die Macht, Gewalt. redĭgo 3, bringe. triennium, i, eine Zeit von drei Jahren. fatīgo 1, ermüde, mache zu schaffen. — praeficio 3 alicui, setze über Jemand. imperium, i, die Herrschaft. nondum, noch nicht. clades, is, die Niederlage. satis, genug. aspernor 1, verschmähe. sed, aber. subĭgo 3, unterjoche. obedio 4, gehorche, leiste Folge. impĕro 1, befehle. — interficio 3, tödte. potior 4, bemächtige mich.

43. postquam, nachdem. oppugno 1, belagere, bestürme. — simul, zugleich. invenio 4, erfinde. perficio 3, vollende. — maxime, am meisten. metuo 3, fürchte. item, ebenso. plurimum, am meisten. dilĭgo 3, liebe, schätze. — revertor 3, kehre zurück. idus (uum) Martiae, der fünfzehnte März. interĭmo 3, tödte. — sperno 3, verachte. noceo 2, schade. — verum, i, das Wahre. male, schlecht, Adverb. examĭno 1, erforsche. corrumpo 3, besteche. judex, ĭcis, der Richter. — foedus, ĕris, das Bündniß. saepe, oft. — Poenus, i, der Punier. arma, orum, die Waffen. — adversus, a, um, widrig. tempestas, ātis, das Wetter, der Sturm. relinquo 3, verlasse. amitto 3, verliere. onus, ĕris, die Last, die Ladung. esse, Eigenthum sein, gehören. remaneo 2, bleibe zurück, verbleibe. — summa, ae, die Summe; summa omnium rerum, die oberste Leitung des Staates. voco 1, nenne. regnum, i, das Königthum. status, us, der Zustand, die Verfassung. delĭgo 3, wähle. arbitrium, i, der Wille. — nobilĭtas, ātis, der Adel. pario 3, erwerbe. accipio 3, erhalte, überkomme. corrumpo 3, entehre.

44. erro 1, irre. res, das Verhältniß. impĕtus, us, der Angriff, der Sturm. fortūna, ae, das Schicksal. puto 1, glaube. fugio 3 rem, entgehe einer Sache, verbinde: qui putant, se fugisse impetus. — Athēnis, s. Nr. 30. nascor 3, entstehe. alo 3, nähre, pflege. eloquentia, ae, die Beredsamkeit. — confundo 3, menge unter einander; confūsus, ungeordnet. antea, vorher. sic, so. dispōno 3, bringe in Ordnung, ordne. ut, wie. nunc, jetzt. — Zoroastres, is, Zoroaster, Gesetzgeber der Meder. rideo 2, lache. gigno 3, gebäre. — forma, ae, die Gestalt, die Schönheit. ministro 1 bibere, gebe zu trinken, bin Mundschenk.

45. percello 3, erschüttere. prosterno 3, werfe zu Boden, verwüste. foedus, a, um, garstig, abscheulich. videor 2, scheine. — muto 1, ändere, wandle um. anĭmus, die Gesinnung. penĭtus, tief, Adverb. insĕro 3, pflanze ein. mos, ris, die Sitte; mores, um, der Character. subĭto, plötzlich, auf einmal, Adverb. evello 3, reiße heraus. — difficulter, schwer, Adverb von difficilis. recīdo 3, rotte aus. vitium, i, der Fehler. nobiscum, nobis und die Präposition cum. — colo 3, verehre. — exerceo 2, übe. —

piĕtas, ātis, die Frömmigkeit, die Gottesfurcht. colo 3, übe. consuesco 3, gewöhne mich; consuēvi, bin gewohnt, pflege.

46. cupidĭtas, ātis, die Begierde, — gloriae, — nach Ruhm. — temerĭtas, ātis, die Verwegenheit, Unbesonnenheit. dux, cis, der Feldherr. attĕro 3, reibe auf, schwäche. — praedīco 3, sage vorher, gebe den Rath. principātus, us, die Herrschaft, der Principat. quaero 3, suche, erringe. teneo 2, behaupte. — par, is, billig. experior 4, versuche. concupisco 3, fange an heftig zu erstreben. — tum, damals. ingemisco 3, seufze. una, zugleich, Adverb. effluo 3, ströme aus, fließe heraus. sentio 4, fühle, merke. — accūso 1, klage an. obmutesco 3, verstumme. — sonĭtus, us, der Schall. oppleo 2, erfülle. obsurdesco 3, werde taub.

47. versor 1, verweile, gehe um. facio 3, mache. — aeger, gra, grum, krank. noceo 2, schade. medĭcus, i, der Arzt. relinquo 3, lasse zurück. — convivium, i, das Gelage. nomĭno 1, nenne; ergänze dazu eum. pocŭlum, i, der Becher. trado 3, übergebe. — liber, a, um, frei. existĭmo 1, halte für —. turpitūdo, ĭnis, die Schändlichkeit, Schlechtigkeit. servio 4, diene, bin unterthan. — vindĭco 1, strafe; über die abgekürzte Form vindicaris s. Gr. § 109, 2. alter, der Nebenmensch. fugio 3, fliehe, meide. — te illud admoneo 2, ich erinnere dich daran. quotidie, täglich. medĭtor 1, erwäge. resisto 3, widerstehe. iracundia, ae, der Jähzorn.

---

# Verba Anomala.

## Edo und Fero.

48. Canis canīnam non est. — Esse oportet[1]), ut vivas, non vivere, ut edas. — Brassĭcam esto vel coctam vel crudam. — Perfer et obdūra; hic labor tibi prodĕrit olim. — Quid tam regium est, quam opem ferre supplicibus? — Tu fer opem, qui spem attulisti. — Par pari referto. — Virtutem praeferte divitiis. — Non convalescit planta, quae saepe transfertur. — Mitte[2]) singultus, bene ferre magnam disce fortunam. — Quod semel testamento alicui datum est, id ab eo, cui datum est, auferri[3]) non potest. — Eurystheus rex Hercŭli imperavit, ut arma reginae Amazŏnum sibi afferret. — Socrătes, cum triginta tyranni essent, pedem portā non extŭlit.

1) oportet, es ist nöthig. 2) mitte, laß. 3) auferre ab aliquo, Einem nehmen.

49. Quibus bellum non intulĕris, bonis amīcis[1]) potĕris uti. — Hercŭlem in coelum sustŭlit fortitudo. — Ager cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet. — Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose effertur. — Homines hoc uno a bestiis plurimum diffĕrunt, quod rationem habent a natura datam. — Lex erat Athēnis, ne quis[2]) corōna donaretur in magistratu, priusquam rationes rettulisset. — Athenienses jurare solebant, omnem suam[3]) esse terram, quae oleam frugesve[4]) ferret. — Imperium Asiatĭcum ab Assyriis, qui id obtinuerant annos mille septuaginta, translatum est ad Medos. — Caesar sarcĭnas in unum locum conferri jussit.

1) amicis uti, ergänze iis, diese zu Freunden haben. 2) ne quis, daß Niemand — sollte. 3) suam esse, sei ihr Eigenthum, gehöre ihnen. 4) ve, oder, wird dem folgenden Worte angehängt.

## Volo, nolo, malo.

50. Docĭlis est, qui attente vult audire. — Speremus, quae volumus, sed quod acciderit[1]), feramus! — Si vultis nihil timere, cogitate, omnia esse timenda. — Poëtae post mortem nobilitari volunt. — Quae volumus, et[2]) credimus libenter. — Valēre malo quam dives esse. — Impellĭmur natura, ut prodesse velīmus quam plurimis[3]). — Multum lege, scribe, meditare, ut possis dicere, cum voles. — Non solum vestīti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam ut videamur vestiti esse honeste.

1) acciderit, Fut. exact. v. accĭdo. 2) et, auch. 3) quam plurimi, so viele als möglich.

51. Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda, luxuries. — Quid est sapientia? semper idem velle atque idem nolle. — T. Pomponius Attĭcus nullas inimicitias gessit, quod neminem laedebat et, si quam injuriam acceperat, malebat oblivisci quam ulcisci. — Nonne mavis sine periculo tuae domi[1]) esse, quam cum periculo aliēnae? Equĭdem, etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem quam in externis atque aliēnis locis. — Alexander ille[2]) ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat,

1) tuae domi, in deinem Hause. 2) ille, jener berühmte.

quod illorum artem sibi gloriae [3]) fore putabat. — Caesar dictitabat, mori se quam timeri malle.

3) gloriae esse, zum Ruhme gereichen.

## Eo, queo und nequeo.

**52.** Fortes viri proelium ineunt et sanguinem pro patria profundunt. — Abeunt omnia, unde orta sunt. — Incĭpit res melius ire, quam putaram. — Quemcunque fors tulerit casum, subībo potius cum iis, qui boni sunt, quam [1]) videar a bonis dissentire. — Diffugēre nives, redeunt jam gramina campis arboribusque comae. — Quodlĭbet periculum pro patria, parentibus, hospitibus, amicis adeamus et quemlibet suscipiamus laborem! — Taurus propter nives ante mensem Junium transīri non potest. — Potest ex casa vir magnus exire. — Pubĕres interfecti sunt, ceteri venierunt. — Qui fugiunt id periculum, quod pro republica subeundum est, stulte faciunt. — Demosthĕnes cum rho dicere nequiret, exercitatione fecit [2]), ut planissime diceret. — Quo mense consul fasces non habebat, accensus ante eum ibat, lictores pone sequebantur. — Populus Romanus Q. Metello tribuit [3]), ut, quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam. — Hierōni prima bella ineunti aquila in clipeo, noctua in hasta consedit.

1) quam, als daß. 2) fecit, ut, brachte es dahin, daß. 3) tribuit, ut veheretur, erlaubte ihm, daß er fahren durfte.

## Fio.

**53.** A poëta fabŭla fit, ab actore agitur. — Solis exortus, cursus, occāsus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt. — Cum [1]) ad gubernacŭla reipublicae temerarii atque audāces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. — Scipio, qui consulatum petivit nunquam, factus est consul bis. — Facile fieri id dicimus, quod sine magno aut sine ullo [2]) labore, sumptu, molestia quam brevissimo [3]) tempore confĭci potest. — Saepe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris [4]) eum faciat, cui commendatus sit, quam illum, a quo sit [5]).

1) cum, so oft als, wenn. 2) ullo, alle. 3) quam brevissimo, vergl. Nr. 50. Anm. 3. 4) pluris facio, ich achte höher. 5) sit, nämlich commendatus.

## Verba Defectiva.

**54.** Homo ad duas res, ut ait Aristotĕles, ad intelligendum[1]) et ad agendum, est natus. — In Phalerĭco ad fluctum[2]) ajunt[3]) declamare solĭtum[4]) Demosthĕnem, ut assuesceret fremĭtum voce vincere[5]). — Demosthenes dolere se[6]) ajebat, si quando opifĭcum antelucānā victus esset industriā. — Africanus superior coronam sibi in convivio ad caput accommodabat. Cum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus: „Noli mirari, inquit, si illa non convĕnit; caput enim magnum est." — T. Pomponius Attĭcus beneficia, quae tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. — Illud semper memento: Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit. — Id videamus[7]), ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus et accidisse hominibus meminerimus. — Quaedam beneficia odĭmus. — Si quid videmus aut audĭmus egregie[8]) turpe aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, id diu meminisse consuevĭmus.

1) intelligere, denken. 2) fluctus, die Brandung. 3) ajunt, nämlich homines, man sagt. 4) solitum, ergänze esse. 5) voce vincere, überschreien. 6) se, Accus. des Subjects. 7) id videre, darauf sehen. 8) egregie, ausnehmend, auffallend.

## Verba Impersonalia.

**55.** Jam saepe fulsit, tonuit, tactum aliquid est de coelo. — De coelo lapidaverat. — Accipere praestat quam facere injuriam. — Nunquam me poenitebit maxima pericula pro patria subire. — Peccare licet nemini. — Ille laetus degit, cui licet singulis diebus[1]) dicere: Vixi. — Non licebat feminis Romae vinum bibere. — Delere licebit, quod non edidĕris; vox[2]) missa nescit reverti. — Qui bene loqui vult, eum consuetudinem[4]) sequi oportet. — Bella suscipienda sunt ob eam caussam, ut sine injuria in pace vivatur.

1) singulis diebus, täglich. 2) vox missa, ein ausgesprochenes Wort. 3) consuetudo, der Sprachgebrauch.

# Vermischte Beispiele.

**56.** Juppiter a poëtis pater deum hominumque dicitur, a majoribus autem nostris optimus maximus, et quidem prius[1]) optimus, id est beneficentissimus, deinde maximus, quia majus est prodesse omnibus quam opes[2]) magnas habere.

1) prius, zuerst. 2) s. Gr. §. 52.

**57.** Imperium Graeciae fuit penes Athenienses, Atheniensium potiti sunt Spartiātae, Spartiatas superavēre Thebāni, Thebanos Macedŏnes vicerunt, qui ad imperium Graeciae brevi tempore adjunxerunt Asiam bello subactam.

**58.** Tonsōres in Italiam ex Sicilia venēre post Romam condĭtam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto; Romani antea intonsi fuēre.

**59.** P. Scipio Africānus, qui Carthagĭnem deleverat, creatus itĕrum consul[1]) missusque in Hispaniam intra annum ac tres menses Numantiam excīdit et solo aequavit. Reversus in urbem post duos consulatus duosque triumphos mane in lectŭlo repertus est mortuus. Decessit anno aetatis quinquagesimo sexto.

1) consul, als Consul, zum C.

**60.** Eodem anno, quo Carthāgo concĭdit, L. Mummius Corinthum annis nongentis quinquaginta duobus, postquam ab Alēte erat condita, fundĭtus diruit. Uterque imperator devictae a se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaĭcus.

**61.** Indi corpora usque ad pedes carbăso velant; pedes soleis, capita linteis vinciunt; lapilli ex auribus pendent; brachia quoque et lacertos auro colunt ii, quibus inter populares aut nobilitas aut opes emĭnent. Capillum pectunt saepius, quam tondent; mentum semper intonsum est.

**62.** Elephanti domantur fame et verberibus. Domĭti milĭtant et turres armatorum in hostes portant magnāque ex parte[1]) orientis bella conficiunt; prosternunt acies, protĕrunt armatos. Iidem minimo suis[2]) stridore terrentur vulneratique et terrĭti retro semper cedunt. Indĭcos Afrĭci pavent nec contuēri audent, nam major Indicis magnitudo est.

1) magna ex parte, großentheils. 2) Gen. v. sus.

**63.** Jugurtha ubi[1]) primum adolevit, equitabat, jaculaba-

1) ubi primum adolevit, sobald er erwachsen war.

tur, cursu cum aequalibus certabat; cum[2]) omnibus gloria praestaret, omnibus tamen carus erat; ad hoc pleraque tempora in venando agebat, leonem atque alias feras feriebat; plurimum faciebat, minimum ipse de se loquebatur.

2) cum — praestaret, obgleich er übertraf.

64. Romae legatis Bocchi, regis Mauretaniae, amicitiam et foedus petentibus hoc modo[1]) responsum est: „Senatus et populus Romanus beneficii et injuriae memor esse solet. Boccho foedus et amicitia dabuntur, cum meruerit."

1) hoc modo, auf folgende Weise.

65. Lydus et Tyrrhēnus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi sortīti sunt, uter cum parte multitudinis patriā decederet[1]). Sors Tyrrheno contĭgit; pervectus in Italiam et loco et incŏlis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit.

1) decederet, — fortgehen sollte.

66. Noctu ambulabat in publĭco Themistŏcles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiădis tropaeis se e somno suscitari.

67. Socrătes cum usque ad vespĕrum contentius ambularet quaesitumque esset ex eo, quare id faceret, respondit, se opsonare ambulando famem, quo[1]) melius coenaret.

1) quo, damit desto.

68. Trophonius et Agamēdes cum Apollĭni Delphis templum exaedificavissent, petiverunt mercēdem, quod[1]) esset optimum homini. Iis Apollo se id daturum[2]) ostendit post diem tertium. Is ut[3]) illuxit, mortui sunt reperti.

1) petiverunt mercedem, quod, verlangten das als Lohn, was.
2) daturum, dabei ist esse ausgelassen. 3) is ut, als dieser.

69. Cum plebes prope ripam Aniēnis ad tertium miliarium consedisset eumque montem, qui sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerius dictator dicendo sedavit discordias, eique ob eam rem honores amplissimi sunt habiti, et is primus ob eam ipsam caussam Maxĭmus est appellatus.

70. Memoria in M. Senĕca floruit. Nam duo milia nominum recitata eo ordine, quo erant dicta, reddebat; et singulos versus a singulis condiscipŭlis datos, cum[1]) plures quam ducenti essent, recitabat ab ultimo incipiens usque ad primum.

1) cum, obgleich, wenn auch.

**71.** Alexandri equus, quem Bucephălum vocabant[1]), in dorso insidēre suo non patiebatur alium, et regem, cum ascendere cuperet, sua sponte[2]) genua submittens excipiebat credebaturque[3]) sentire, quem veheret.

1) vocabant, nämlich homines, man nannte. 2) sponte, s. Gr. §. 48. 3) credebatur, man glaubte, daß es.

**72.** Hammōnis nemus in medio habet fontem, quem Solis aquam vocant[1]); sub[2]) lucis ortum tepĭda manat; medio die, cujus vehementissimus est calor, frigĭda eădem fluit; vespĕri calescit; media nocte fervĭda exaestuat, quoque[3]) nox propius vergit ad lucem, eo magis ex nocturno calōre decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto[4]) tepōre languescat.

1) s. die vorige Nro. Anm. 1. 2) sub, gegen. 3) quoque, = et quo, und je. 4) donec assueto tepore languescat, bis sie auf den gewöhnlichen Grad der Lauheit zurückkommt.

**73.** Alexander, ab Hammōne revertens[1]), ut[2]) ad Mareōtin haud procul ab insula Pharo sitam venit, contemplatus est loci naturam et primum in ipsa insula statuit urbem novam condere. Deinde ut apparuit, magnae sedis insulam haud capācem esse, elēgit urbi locum, ubi nunc est Alexandrīa.

1) revertens, von reverti. 2) ut venit, als er gekommen war.

**74.** Puer, qui apud Platōnem educatus erat, cum ad parentes reductus vociferantem audiret patrem: „Nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi.“

**75.** M. Livius Drusus cum aedificaret domum in Palatio, promitteretque ei architectus, ita se eam aedificaturum, ut nemo in eam despicere posset: „Tu, inquit, si quid[1]) in te artis est, ita compōne domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspĭci possit.“

1) quid artis, etwas von Kunst, einige Kenntniß.

**76.** Cum[1]) Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnītes apportavissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.

1) cum, Conjunction, als.

**77.** Ab Antigŏno Cynĭcus petivit talentum. Respondit, plus esse, quam quod Cynicus petere deberet. Repulsus petivit denarium. Respondit, minus esse, quam quod rex deberet dare.

**78.** Cum rex Pyrrhus populum Romanum bello persequeretur, medĭcus ejus venit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se clam in Pyrrhi castra reversurum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit[1]) ad Pyrrhum, idque ejus factum laudatum a senatu est.

1) reducendum curavit, er ließ zurückführen.

**79.** Caesar fastos correxit annumque ad cursum solis accommodavit, ut trecentos sexaginta quinque dies haberet et unus dies quarto quoque[1]) anno intercalaretur.

1) quoque, von quisque.

**80.** Post Tullum Hostilium rex[1]) a populo est Ancus Marcius constitutus. Is cum Latīnos bello devicisset, ascīvit eos in civitatem. Atque idem Aventīnum et Caelium montem adjunxit urbi; quosque[2]) agros ceperat[3]), divisit; et silvas maritĭmas omnes publicavit; et ad ostium Tibĕris urbem condidit colonisque firmavit. Atque ita cum tres et viginti regnavisset annos, est mortuus.

1) rex, als König. 2) quosque, agros, = et agros, quos. 3) capere, erobern.

**81.** In Demosthĕne tantum studium fuit tantusque labor, ut impedimenta naturae diligentia industriāque superaret; cum ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studebat, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius loqueretur. Is etiam conjectis in os calcŭlis summa voce versus multos uno spirĭtu pronuntiare consuescebat.

**82.** Condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi; Persae etiam cera circumlĭtos condunt, ut quam maxime[1]) permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optimātes domestĭcos; nobile autem genus canum illud scimus esse; sed pro sua quisque facŭltate parat[2]), a quibus lanietur, eamque[3]) optimam illi esse censent sepulturam.

1) quam maxime diuturna, so lange als möglich. 2) parat, ergänze eos. 3) eam esse, dies sei.

**83.** Zeuxis traditur[1]) pinxisse puerum uvam tenentem.

1) traditur, dicitur, man sagt daß er, er soll.

Cum tanta esset similitudo uvae, ut etiam aves advolarent, quidam ex iis, qui adĕrant, dixisse dicitur[1]): „Aves male existĭmant de tabŭla; non enim advolassent, si puer similis esset."

**84.** Cum[1]) rex Indorum se in publĭco conspĭci patĭtur, turibŭla argentea ministri portant totumque iter odoribus complent. In aurea lectīca recŭbat; distincta sunt auro et purpŭra carbăsa, quibus indutus est; lecticam sequuntur armati corporisque custōdes. Breviora itinĕra equo confĭcit; ubi[2]) longior expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contĕgunt auro.

1) cum — se in publico conspici patitur, wenn er sich öffentlich sehen läßt. 2) ubi, wenn.

**85.** Mos erat principibus Macedŏnum, adultos liberos regibus tradere ad munia, quae haud multum a servilibus ministeriis abhorrerent. Excubabant proximi foribus ejus cubicŭli, in quo rex acquiescebat. Iidem equos, cum rex ascensurus esset, admovebant comitabanturque et venantem et in proeliis. Praecipuus honos habebatur, quod[1]) licebat sedentibus[2]) vesci cum rege. Castigandi[3]) eos verberibus nemini potestas praeter ipsum erat. Haec cohors velut seminarium ducum praefectorumque apud Macedŏnas fuit.

1) quod, daß. 2) sedentibus vesci, sitzend essen. 3) castigandi — potestas, die Macht zu züchtigen.

**86.** Lucio Paullo quattuor filii fuēre; ex iis duos natu majores[1]), unum P. Scipioni, P. Africani filio, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo; duos minores natu praetextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in contione extra urbem more majorum ante triumphi diem ordinem rerum a se gestarum commemoraret, deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent quam in rempublicam. Alterum ex suis liberis, quos in familia retinuerat, ante[2]) paucos triumphi dies, alterum post pauciores amisit.

1) natu major, älter. 2) ante paucos triumphi dies, einige Tage vor dem Triumph.

**87.** P. Scipio Africanus Ephĕsi cum Hannibăle collocutus

est. Inter alia cum quaereret, quis fuisset maximus imperator, respondit Hannĭbal: „Alexander Macedŏnum rex, quod parva manu innumerabiles exercitus fudit, quodque ultimas oras peragravit." Quaerenti deinde, quem secundum[1]) poneret: „Pyrrhum, inquit, qui castra metari primus docuit." Exsequenti[2]), quem tertium duceret: „Memet ipsum", inquit. Tum risus obortus est Scipioni, et subjecit: „Quidnam tu diceres, si me vicisses?" — „Tum vero[3]) dicerem, inquit, me et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante omnes alios imperatores esse."

1) secundum, als den zweiten. 2) exsequenti, als er weiter fragte. 3) tum vero, dann fürwahr, ja dann.

**88.** Alexander cum in India vagaretur, in obsidione cujusdam urbis sagitta ictus est, sed incepta agere perseveravit. Deinde cum vulnĕris dolor cresceret, coactus absistere: „Omnes, inquit, jurant, esse me Jovis filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat."

**89.** Epaminondas cum vicisset Lacedaemonios apud Mantinēam atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, quaesīvit, salvusne esset clipeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit, essentne fusi hostes. Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita in laetitia et in victoria est mortuus.

**90.** Archȳtas Tarentīnus cum ad villam venisset et omnia alĭter offendisset, ac[1]) jusserat: „O te infelīcem, inquit villĭco, quem necassem jam verberibus, nisi iratus essem."

1) aliter — ac, anders — als.

**91.** L. Paullo contĭgit, ut bellum cum rege Perse gereret. Is ut ea ipsa die domum ad vespĕrum rediit, filiŏlam suam Tertiam oscŭlans animadvertit tristicŭlam. „Quid est[1]), inquit, mea Tertia? quid[2]) tristis es?" — „Mi pater, inquit, Persa periit." Tum ille artius puellam complexus: „Accipio, inquit, mea filia, omen." Erat autem mortuus catellus eo nomine.

1) Quid est, was gibts? 2) quid, was oder warum?

**92.** Themistŏcles cum imperator bello Persĭco servitute Graeciam liberasset propterque invidiam in exsilium expulsus

esset, ingrātae patriae injuriam non tulit, quam ferre debuit[1]); fecit idem, quod viginti annis ante apud Romanos fecerat Coriolānus; his adjūtor contra patriam inventus est[2]) nemo; ităque mortem sibi uterque conscīvit.

1) debuit, er hätte sollen. 2) inventus est, fand sich.

**93.** Populus Romanus Numantiam delevit, Carthagĭnem sustŭlit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantīnis vires corporis auxiliatae sunt; nihil[1]) Carthaginiensibus scientia rei militāris adjumento fuit; nihil[2]) Corinthiis erudīta callidĭtas praesidii tulit; nihil Fregellānis morum et sermōnis societas opitulata est.

1) nihil, ein starkes non, in keiner Hinsicht. 2) nihil praesidii' keinen Schutz.

**94.** Hamilcar Carthaginiensis cum oppugnaret Syracūsas, visus est[1]) audire vocem, se postridie coenaturum Syracūsis. Cum autem is dies illuxisset, magna seditio in castris ejus inter Poenos et Sicŭlos milites est facta. Quod[2]) cum sensissent Syracusāni, improvīso in castra irrupērunt, Hamilcarque ab iis vivus est sublātus. Ita res[2]) somnium comprobavit.

1) visus est, er glaubte. 2) quod cum, als dieses. 3) res, der Erfolg, die Wirklichkeit.

**95.** L. Sicinium Dentātum, qui tribunus plebis fuit, scriptum est in libris annalibus, strenuum bellatorem fuisse, nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumque esse Achillem Romanum. Is pugnasse in hostem dicitur[1]) centum et viginti proeliis, cicatrīcem aversam[2]) nullam, adversas quinque et quadraginta tulisse[3]), corōnis esse donatus aureis octo, obsidionāli una, muralibus tribus, civĭcis quattuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus quam centum sexaginta, hastis duodeviginti; phalĕris item donatus est quinquies et vicies. Triumphavit cum imperatoribus suis triumphos novem.

1) soll. 2) aversus, von hinten, auf dem Rücken, adversus, von vorne, auf der Brust. 3) ferre, davon tragen, erhalten.

**96.** Danaus, Beli filius, quinquaginta filias habuit, totidemque filios frater Aegyptus, qui Danaum fratrem et filias ejus interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret. Danaus cum rem cognovisset, ex Africa Argos profugit. At

Aegyptus ut[1]) resciit, Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent aut ad se non reverterentur. Qui[2]) cum Argos venisent, oppugnare patruum coeperunt. Danaus ut vidit, se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. Impetratas sorores patruēles acceperunt uxores; quae patris jussu viros suos interfecerunt. Sola Hypermnestra Lyn̆ceum servavit. Ob id ceterae apud inferos in dolium pertusum aquam ingĕrunt. Hypermnestrae et Lynceo fanum factum est.

1) ut, als. 2) qui cum, als diese.

**97.** Juppiter Tantălo concredere sua consilia solitus erat et ad epulum deorum admittere; quae Tantalus hominibus renuntiavit. Ob id ad inferos in aqua usque ad medium corpus stat semperque sitit; et cum haustum aquae vult sumere, aqua recēdit. Item poma ei super caput pendent; quae cum[1]) vult sumere, rami vento moti recēdunt. Item saxum super caput ejus ingens pendet; semper timet, ne[2]) id super se ruat.

1) quae cum, wenn diese. 2) timeo ne, ich fürchte, daß.

**98.** Inter Junōnem, Venĕrem, Minervam quondam magna controversia orta erat, quae esset formosissima. Juppiter imperavit Mercurio, ut deduceret eas in Idam montem ad Alexandrum Parĭdem eumque juberet judicare. Cui Juno, si secundum se[1]) judicasset, pollicita est, in omnibus terris eum regnaturum; Minerva, si inde victrix discederet, fortissimum mortalium futurum. Venus autem Helĕnam, Tyndarei filiam, formosissimam omnium mulierum, se in conjugium daturam promisit. Paris donum posterius prioribus anteposuit Venerĕmque pulcherrimam esse judicavit. Ob id Juno et Minerva Trojanis fuerunt infestae Alexander Veneris impulsu Helĕnam a Lacedaemŏne ab hospite Menelāo Trojam abduxit.

1) secundum se, zu ihren Gunsten.

**99.** Hercŭles cum infans esset, dracones duos duabus manibus necavit, quos Juno miserat. Leonem Nemeaeum necavit, cujus pellem pro tegumento habuit. Hydram Lernaeam cum capitibus novem ad fontem Lernaeum interfecit. Haec tantam vim veneni habuit, ut afflatu homines necaret;

et si quis eam dormientem transierat, vestigia ejus afflabat, et malo cum cruciatu moriebatur. Hanc interfecit et exenteravit, exque ejus felle sagittas tinxit. Itaque quidquid postea sagittis fixerat, mortem non effugiebat; unde postea et ipse periit.

Aprum in Arcadia Erymanthium occidit. Cervum velocem in Cerynia cum cornibus aureis vivum in conspectum Eurysthei regis adduxit. Aves Stymphalĭdes in insula Martis sagittis interfecit. Augiae regis bubīle uno die purgavit; flumine immisso totum stercus abluit. Taurum ex Creta insula Mycēnas vivum adduxit. Diomēdem regem Thraciae et equos quattuor ejus, qui carne humana vescebantur, cum Abdēro famulo interfecit. Reginae Amazŏnum balteum detraxit, tum Antiŏpam captivam Theseo donavit. Geryŏnem, Chrysaŏris filium trimembrem, uno telo interfecit. Draconem immanem, Typhōnis filium, qui mala aurea Hesperĭdum servare solitus erat, ad montem Atlantem interfecit et Eurystheo regi mala attulit. Canem Cerbĕrum, Typhōnis filium, ab inferis regi in conspectum adduxit.

Antaeum, Terrae filium, in Libya occidit. Hic cogebat hospites secum luctari, et delassatos interficiebat. Hunc luctando necavit. Busirĭdem in Aegypto occidit, qui hospites immolare solitus erat. Hujus legem cum audiit, passus est, se cum infŭla ad aram adduci. Busīris autem cum vellet deos precari, Hercules eum clava ac ministros sacrorum interfecit. Aquilam, quae Prometheo cor exedebat, sagittis interfecit. Achelōus fluvius in omnes figuras se immutabat. Hic cum Hercule propter Dejanīrae conjugium cum pugnaret, in taurum se convertit, cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Hesperidibus sive Nymphis donavit; quod eae pomis replerunt et cornu copiae appellarunt.

**100.** Graeci cum per decem annos Trojam capere non possent, Epeus monitu Minervae equum mirae magnitudinis ligneum fecit, eoque sunt collecti Menelāus, Ulixes, Diomēdes, Thersander, Sthenĕlus, Acămas, Thoas, Machāon, Neoptolĕmus. Et in equo scripserunt: „Danai Minervae dono dant,“ castraque transtulerunt Tenĕdum. Id Trojani cum viderunt, arbitrati sunt, hostes abisse. Priămus equum in ar-

cem Minervae duci imperavit, feriatique magno opere ut essent, edixit. Cum vates Cassandra vociferaretur, inesse hostes, fides ei habita non est. Quem in arce cum statuissent et ipsi noctu lusu atque vino lassi obdormissent, Graeci ex equo exierunt et portarum custodes occiderunt sociosque signo dato receperunt et Troja sunt potiti.

## Römische Geschichte.

1. Urbs Roma a Romŭlo condĭta est anno septingentesimo quinquagesimo quarto ante Christum natum. Eam a
510 a. Chr. principio reges habuēre. Deinde consŭles pro uno rege duo creabantur, ut alter alterum coërcēret. Et placuit[1]), ne imperium longius quam annum haberent. Fuerunt primi consules L. Junius Brutus, cujus opera Tarquinius, ultimus regum Romanorum, expulsus erat, et M. Horatius Pulvillus.

1) placuit ne, man beschloß, daß sie nicht sollten.

2. Porsenna, Clusinorum rex, cum bellum pro Tarquinio suscepisset et ad Janicŭlum venisset, virtute Horatii Coclĭtis prohibitus est[1]), ne Tibĕrim transiret. Dum enim alii pontem sublicium rescindunt, Cocles solus Etruscos sustinuit et ponte rupto in flumen se misit et ad suos transnavit.

1) prohibitus est, ne transiret, er wurde abgehalten, hinüberzugehen.

396 a. Chr. 3. M. Furius Camillus dictator Vejos diu obsessos cepit, simulacrum Junōnis Romam transtŭlit, decimam[1]) praedae Delphos Apollĭni misit. Sed commōta est ei invidia, quasi praedam male divisisset, damnatusque ob eam caussam in exsilium abiit. Postea cum Galli Senōnes Clusium obsidērent, et legati a senatu missi contra Gallos in acie Clusinorum pugnavissent, hoc facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu petierunt, fusisque ad Alliam Romanis cepēre
390 a. Chr. urbem praeter Capitolium, quo[2]) se juventus contulerat; majores natu cum insignibus honorum, quos quisque gesserat,

1) decimam, ergänze partem. 2) quo, Adv. des Ortes.

in vestibŭlis aedium sedentes occiderunt. Et cum per aversam partem Capitolii jam in summum evasissent, prodĭti clangore ansĕrum M. Manlii praecipue opera dejecti sunt. Cum deinde Romani fame coacti mille pondo[3]) auri darent et hoc pretio finem obsidionis emerent, Furius Camillus, dictator absens creatus, cum exercitu venit et Gallos post sextum mensem urbe expŭlit ceciditque[4]). Castra capiuntur, et ne nuntius quidem[5]) cladis relictus est. Dictator triumphans in urbem redit, et Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis appellabatur. Servatam bello patriam iterum in pace servavit, cum prohibuit, migrari[6]) Vejos.

3) pondo, s. Gr. §. 47. 4) cecīdit. 5) ne — quidem, nicht einmal. 5) migrari, daß man auswanderte.

4. Cum legiones Romanae adversus Gallos duce[1]) L. Furio Camillo profectae essent, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, provocavit. Tum se M. Valerius tribunus militum obtŭlit, et cum processisset armatus, corvus ei repente in galea consēdit. Mox inĭto adversus Gallum certamine idem corvus rostro et unguibus Galli os oculosque verberavit, donec eum tribunus obtruncavit. Deinde Valerio cognomen Corvus datum, ac propter hoc merĭtum annorum trium et viginti consul est factus. 350 a. Chr.

1) duce Camillo, unter Anführung des C.

5. Anno quadringentesimo septuagesimo tertio ab urbe condita Tarentīnis, qui in ultima Italia sunt, bellum indictum est, quia legatis Romanorum injuriam fecissent. Ii Pyrrhum, Epīri regem, contra Romanos auxilium poposcerunt. Is mox in Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarīno hoste dimicaverunt. Missus est contra eum consul P. Valerius Laevīnus, qui, cum exploratores Pyrrhi cepisset, jussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumque dimitti[1]), ut renuntiarent Pyrrho, quaecunque a Romanis agerentur. Paulo post Pyrrhus in pugna elephantorum auxilio Romanos apud Heraclēam vicit, mille octingentos cepit eosque summo honore tractavit, eos, qui occīsi erant, sepelivit. 281 a. Chr. 280 a. Chr.

1) dimitti, nämlich exploratores.

Quos [2]) cum adversis vulneribus [3]) et truci vultu etiam mortuos jacēre vidisset, tulisse ad coelum manus dicitur [4]) cum hac voce, se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.

2) quos, = eos; so steht im Lateinischen häufig das Relativ an der Spitze des Satzes statt: dieser, und dieser, dieser aber, denn dieser, dieser also. 3) adversis vulneribus, mit Wunden auf der Brust, adversus eig. zugewendet. 4) soll.

6. Tum Pyrrhus ad Romanos Cineam legatum misit, qui [1]) pacem aequis conditionibus offerret. Pax displicuit, responsumque Pyrrho a senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Ita Cineas revertit. A quo [2]) cum quaereret Pyrrhus, qualem Romam repperisset, dixit, regum se patriam vidisse; tales enim illic esse fere omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirōtas reliquosque Graecos putaretur.

1) qui, = ut is. 2) a quo, = ab eo, s. vorher 5. A. 2.

7. Postea Pyrrhus Romam perrexit, omnia ferro ignique vastavit, Campaniam depopulatus est atque ad Praeneste venit, sed metu [1]) exercitus, qui cum consule sequebatur, in Campaniam se recēpit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captīvis missi ab eo honorifíce excepti sunt. Captīvos sine pretio Romam misit. Unum ex legatis Romanorum, G. Fabricium, sic admiratus est, ut ei quartam partem regni promitteret, si ad se transisset, sed a Fabricio contemptus est.

1) metu exercitus, aus Furcht vor dem Heere.

278 a. Chr. 8. Duobus annis post contra Pyrrhum G. Fabricius missus est. Ad eum, cum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrhi nocte venit, promittens, se venēno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur; quem Fabricius vinctum redūci jussit ad dominum Pyrrhoque dici, quae contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc rex dixisse fertur: „Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest.“

275 a. Chr. 9. Anno quadringentesimo undeoctogesimo ab urbe condita Manius Curius contra Pyrrhum pugnavit, exercitum ejus cecīdit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. Eo die caesa sunt hostium viginti tria milia. Curius primus Romam

elephantos quattuor duxit. Pyrrhus etiam a Tarento mox recessit et apud Argos[1]), Graeciae civitatem, occisus est.

1) Argos, s. Gr. §. 53, 2.

**10.** Primo bello Punĭco Carthaginienses a Regŭlo, duce Romanorum, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur et pacem a Romanis obtineret ac permutationem captivorum faceret. Ille cum Romam venisset, inductus in senatum dixit, se ex[1]) illo die, quo in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse, et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret; illos[2]) enim fractos tot casibus spem nullam habere; se tanti non esse, ut tot milia captivorum propter unum se et paucos, qui ex Romanis capti essent, redderentur. Tum Carthaginem rediit, ubi omnibus suppliciis exstinctus est. 264—241 a. Chr.

1) ex, seit. 2) illos – habere, abhängig von dixit, das ergänzt wird.

**11.** Anno belli Punici vicesimo tertio G. Lutatio Catŭlo consuli bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum trecentis navibus in Siciliam. Afri contra ipsum quadringentas paraverunt. Nunquam mari tantis copiis pugnatum est. Lutatius Catŭlus navem aeger ascendit. Vulneratus enim in pugna superiore erat. Contra[1]) Lilybaeum, civitatem Siciliae, pugnatum est. Septuaginta tres Carthaginiensium naves captae sunt, centum viginti quinque demersae, triginta duo milia hostium capta, tredecim occisa, infinītum auri argentique pondus in potestatem Romanorum redactum; ex classe Romana duodecim naves demersae. Statim Carthaginienses pacem petierunt, dataque est eis pax. Captivi Romanorum, qui tenebantur a Carthaginiensibus, redditi sunt. 241 a. Chr.

1) contra, gegenüber.

**12.** Bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibălem, Carthaginiensium ducem, qui Saguntum, Hispaniae civitatem Romanis amīcam, oppugnare coepit, annum agens vicesimum aetatis. Ei Romani per legatos denuntiaverunt, ut[1]) bello abstineret. Is legatos admittere noluit. Romani etiam Carthaginem miserunt, ut mandaretur Hannibăli, ne bellum contra socios populi Romani gereret. Dura responsa a Carthaginiensibus sunt reddita. Saguntīni interea fame victi sunt. 218—201 a. Chr.

1) ut abstineret, daß er sich enthalten solle.

**13.** Hannĭbal relicto in Hispania fratre Hasdrubăle Pyrenaeum transiit. Alpes sibi patefecit. Traditur[1]) in Italiam octoginta milia peditum, viginti milia equitum, septem et triginta elephantos adduxisse. P. Cornelius Scipio consul Hannibali primus apud Ticīnum occurrit, sed fugatus et vulneratus in castra rediit. Tib. Sempronius, alter consul, et ipse[2]) conflīgit apud Trebiam amnem; is quoque vincitur. Inde ad Tusciam veniens Hannibal G. Flaminio consuli apud lacum Trasimēnum occurrit. Ipsum Flaminium interēmit; Romanorum viginti quinque milia caesa sunt, ceteri diffugerunt. Missus est adversus Hannibalem postea a Romanis Q. Fabius Maximus. Is eum differendo pugnam continuit.

1) traditur, = dicitur, er soll. 2) et ipse, ebenfalls.

**14.** Postero anno L. Aemilius Paullus et P. Terentius Varro contra Hannibalem mittuntur Fabioque succēdunt, qui eos monuit, ut Hannibalem non aliter vincerent quam proelium differendo. Verum cum impatientiā Varronis consulis
216 a. Chr. apud Cannas in Apulia pugnatum esset, ambo consules ab Hannibale vincuntur. In ea pugna periit Aemilius Paullus consul, consulares aut praetorii viginti, senatores capti aut occisi sunt triginta, nobiles viri trecenti, militum quadraginta milia, equitum tria milia et quingenti. In iis malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem fecit. Servi, quod nunquam ante factum est, manumissi et milites facti sunt.

**15.** Post eam pugnam multae Italiae civitates, quae Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt. Is Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumque est a senatu, eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit et tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, senatorum militumque detraxe-
211 a. Chr. rat. Anno quingentesimo quadragesimo tertio ab urbe condita Hannibal usque ad quartum miliarium urbis accessit, equites ejus usque ad portas, mox autem in Campaniam se recēpit.

**16.** Cum Hannibal in Italiam transiret, ejus frater Hasdrŭbal in Hispania cum magno exercitu remanserat, ut eam totam Afris subigeret. Ab eo Gnaeus et Publius Scipiones,

qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur. Postero anno P. Cornelius Scipio eo mittitur, filius P. Scipionis, qui ibīdem bellum gesserat, annos natus quattuor et viginti, vir Romanorum omnium et sua aetate et posteriore tempore fere primus. Is Carthaginem novam capit, in qua omne aurum et argentum et belli apparatum Afri habebant, nobilissimos quoque obsĭdes, quos ab Hispānis acceperant. Magōnem etiam, fratrem Hannibalis, ibidem capit, quem Romam cum aliis mittit. Scipio Hispanorum obsides părentibus reddidit. Quare[1]) omnes fere Hispāni ad eum uno animo transierunt. Postea Hasdrubălem victum fugat et praedam maximam capit. 211 a. Chr.

1) quare, deßhalb, eig. weßhalb, s. vorher Nr. 5 A. 2.

**17.** Hannibal, despērans Hispaniam contra Scipionem ducem diutius posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinĕre, quo etiam Hannibal venerat, apud Metaurum fluvium in insidias incĭdit, quas Appius Claudius Nero et M. Livius Salinator consules composuerant. Strenue tamen pugnans occisus est, ingentes ejus copiae captae aut interfectae sunt, magnum pondus auri atque argenti Romam relatum.

**18.** Romani evocaverunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit et consul factus est. Postero anno in Afrĭca contra Hannōnem, ducem Afrorum, pugnat et exercitum ejus interfĭcit. Secundo proelio castra capit cum quattuor milibus et quingentis militibus, undecim milibus occīsis. Syphăcem, Numidiae regem, qui se Afris conjunxerat, capit et castra ejus invādit. Syphax cum nobilissimis Numĭdis et infinītis spoliis Romam ab Scipione mittitur. Qua[1]) re audita omnis fere Italia Hannibalem desĕrit. Ipse a Carthaginiensibus redire in Africam jubetur. Ita anno septimo decimo ab[2]) Hannibale Italia liberata est. 205 a. Chr.

1) qua, s. vorher Nr. 5 A. 2. 2) ab Hannibale, das ab bezeichnet Trennung (Gr. §. 223).

**19.** Legati Carthaginiensium pacem a Scipione petiverunt; ab eo ad senatum Romam missi sunt; in quadraginta quinque dies iis induciae datae sunt, quibus[1]) Romam ire et regrĕdi possent. Senatus ex arbitrio[2]) Scipionis pacem

1) quibus, = ut iis. 2) ex arbitrio, nach dem Gutdünken.

jussit cum Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quam triginta naves haberent, ut quingenta milia pondo argenti darent, captivos et perfŭgas redderent.

**20.** Intĕrim Hannibale veniente in Africam pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt. Hannibal autem proeliis victus a Scipione petit pacem. Cum ventum esset ad colloquium, iisdem conditionibus data est, quibus prius. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, jusseruntque Hanni-
202 a. Chr. balem pugnare. Proelium ab utroque duce apud Zamam instructum est, quale[1] vix ullā memoriā fuit, cum peritissimi viri copias suas ad pugnam educerent. Scipio victor discessit. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit, Africānus ex eo appellari coeptus est.

1) quale, ergänze davor tale; ulla memoria, zu irgend einer Zeit, s. Gr. §. 161 A. 1.

200 a. Chr. **21.** Quingentesimo quinquagesimo quarto anno ab urbe condita T. Quinctius Flaminīnus adversus Philippum, regem Macedŏnum, rem prospĕre gessit. Pax ei data est his legibus[1], ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret; ut captivos et transfŭgas redderet; quinquaginta solum naves haberet, relĭquas Romanis daret; per annos decem quaterna milia pondo argenti praestaret; obsĭdem daret filium suum Demetrium.

1) legibus, = conditionibus.

171 a. Chr. **22.** Perseus, Philippi filius, in Macedonia rebellavit. Dux Romanorum P. Licinius consul contra eum missus est et a rege gravi proelio victus. Neque tamen Romani regi petenti pacem dare voluerunt, nisi[1]) his conditionibus, ut se et suos senatui populoque Romano dederet. Tribus annis post cum Perseo L. Aemilius Paullus consul dimicavit eumque apud Pydnam vicit. Ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Paulli potestatem. Is Romam cum ingenti pompa rediit in nave Persei, quae inusitatae magnitudinis fuisse dicitur, adeo ut sedecim ordĭnes dicatur[2]) habuisse remorum. Triumphavit autem magnificentissime in curru

1) nisi, nach einer Verneinung = außer. 2) dicatur, Subject dazu ist navis.

aureo cum duobus filiis. Ducti sunt ante currum duo regis filii et ipse Perseus, quadraginta quinque annos natus.

**23.** Anno sexcentesimo quinto ab urbe condita tertium 149
bellum contra Carthaginem suscipitur, anno quinquagesimo a. Chr.
altero post, quam secundum Punicum bellum confectum erat. Romani Carthaginem oppugnavērunt. Contra eos Hasdrŭbal, dux Carthaginiensium, dimicabat. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribūnus ibi militabat. Is et paratissimus ad dimicandum et rei militaris peritissimus habebatur. Itaque per eum multa prospĕre a consulibus gesta sunt.

**24.** Tertio belli anno Scipio, cum clarum ejus nomen esset, juvenis adhuc consul factus est et contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa sunt, quae variarum civitatum excidiis Carthago collegerat. Scipio ornamenta urbium civitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua[1]) recognoscebant. Ita Carthago septingen-
tesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, 146
quod avus ejus acceperat, meruit, ut[2]) propter virtutem etiam a. Chr.
ipse Africanus minor vocaretur. Eodem anno Mummius consul Corinthum cepit ac diruit.

1) sua, als ihr Eigenthum. 2) ut, daß er nämlich.

**25.** Cum Numantīnis Romani annos undecim bellum 143—133
gesserunt. G. Hostilius Mancīnus cum iis pacem fecit in- a. Chr.
fāmem, sed eam senatus populusque Romanus jussit infringi atque ipsum Mancīnum hostibus tradi, ut in illo injuriam soluti foedĕris vindicarent. Postea P. Scipio Africanus iterum consul factus et ad Numantiam missus est. Is primum militem vitiosum et ignavum exercendo magis quam puniendo correxit, tum multas Hispaniae civitates partim bello cepit, partim in deditionem accepit, postremo ipsam Numantiam diu obsessam fame confecit et fundĭtus evertit, relĭquam provinciam in fidem accepit.

**26.** Anno centesimo duodecimo ante Christum natum Jugurthae, Numidarum regi, bellum illatum est, quod Adherbălem et Hiempsălem, Micipsae filios, fratres suos, reges et populi Romani amicos, interemisset. Anno belli quarto missus Q. Caecilius Metellus consul exercitum ad disciplīnam Romanam reduxit. Jugurtham variis proeliis vicit, elephan-

tos ejus occīdit vel cepit, multas civitates ipsius in deditionem accepit. Et cum jam bello finem impositurus esset, successum est ei a G. Mario. Is Jugurtham et Bocchum, Mauretaniae regem, qui Jugurthae genĕro suo auxilium ferre coeperat, apud Cirtam vicit bellique finem fecit capto Jugurtha per quaestorem suum L. Cornelium Sullam. Marius de Jugurtha triumphum egit; ante currum Jugurtha cum duobus filiis ductus est in vincŭlis et mox jussu consulis in carcĕre strangulatus.

**27.** Dum bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, Romani consules Gn. Manlius et Q. Caepio a Cimbris et Teutŏnis et Tigurīnis et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt juxta flumen Rhodănum; etiam castra sua et magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romae grandis fuit, ne iterum Galli Romam venirent. Ergo Marius post victoriam Jugurthīnam iterum consul est factus, eique bellum contra Cimbros et Teutŏnos decrētum est. Tertium quoque et quartum ei delātus est consulatus,
102 quia bellum trahebatur. Marius Teutŏnos apud Aquas Sex-
a. Chr. tias proelio vicit eorumque regem Teutobōdum cepit, propter quod merĭtum absens quintum consul factus est. Postero anno cum Q. Lutatio Catŭlo collēga Cimbros, qui in Italiam transierant, in campis Raudiis vicit et delevit.

**28.** Anno septuagesimo tertio ante Christum natum in Italia novum bellum subĭto commōtum est. Septuaginta enim quattuor gladiatores ducibus 1) Spartăco, Crixo, Oenomāo, effracto 2) Capuae ludo, effugerunt et per Italiam vagantes paene non levius bellum in ea, quam Hannibal moverat, paraverunt. Nam multis ducibus et duobus simul Romanorum consulibus victis sexaginta fere milium armatorum exercitum congregaverunt. Victi sunt in Apulia a M. Licinio Crasso proconsule, et post multas calamitates Italiae tertio anno huic bello finis impositus est.

1) ducibus Spartaco, Crixo, unter Anführung des Sp. ꝛc. 2) effracto ludo, = ludum effregerunt, brachen aus der Gladiatorenschule aus.

**29.** Pirātae omnia maria per multos annos infestabant ita, ut Romanis, toto orbe victoribus, sola navigatio tuta

non esset. Quare[1]) id bellum Gn. Pompejo decretum est. 67
Quod[2]) intra paucos menses ingenti et felicitate et celeritate a. Chr.
confecit. Mox ei delatum est bellum etiam contra Mithridātem, Ponti regem. Quo[2]) suscepto Mithridatem in Armenia minore nocturno proelio vicit et castra diripuit. Mithridates cum uxore et duobus comitibus fugit. Neque multo post venēnum hausit. Regnavit annos sexaginta, vixit septuaginta duos, contra Romanos bellum gessit annos quadraginta.

1) s. Nr. 16 A. 1. 2) s. Nr. 5 A. 2.

**30.** M. Tullio Cicerone[1]) G. Antonio consulibus L. Ser- 63
gius Catilīna, nobilissimi genĕris vir, sed ingenii pravissimi, a. Chr.
ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam viris audacibus. A Cicerone urbe expulsus est. Socii ejus deprehensi in carcĕre strangulati sunt. A M. Petrejo, Antonii legāto, Catilina ipse proelio victus est et interfectus.

1) Cicerone Antonio consulibus, unter dem Consulate des C. und A.

**31.** Anno undesexagesimo ante Christum natum G. Julius Caesar cum L. Bibŭlo consul factus est. Decreta est ei Gallia et Illyrĭcum cum legionibus decem. Is primum vicit Helvetios, deinde vincendo usque ad Oceănum Britannĭcum processit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes, flumen Rhodănum, Rhenum, Oceănum est et circuĭtu patet ad bis et tricies centena milia passuum. Britannis quoque bellum intulit, quibus ante eum ne[1]) nomen quidem Romanorum cognĭtum erat.

1) s. Nr. 3 A. 5.

**32.** Caesar rediens ex Gallia victor coepit poscere alterum consulatum. Contradictum est a Marcello consule, a Bibŭlo, a Pompejo, a Catōne, jussusque dimissis exercitibus ad urbem redire. Propter quam[1]) injuriam ab Arimĭno, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompejo senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit et in Graeciam transiit. Apud Epīrum, Macedoniam, Achajam Pompejo duce senatus contra Caesarem bellum paravit.

1) s. Nr. 5 A. 2.

**33.** Caesar vacuam urbem ingressus dictatorem se fecit.

Inde Hispanias petiit. Ibi Pompeji exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus superavit. Inde regressus in Graeciam transiit et adversum Pompejum dimicavit. Primo proelio victus est et fugatus, evāsit tamen, quia nocte[1]) interveniente Pompejus sequi noluit, dixitque Caesar, Pompejum nescire vincere, et illo tantum[2]) die se potuisse superari. Deinde in Thessalia apud Pharsālum dimicaverunt.

1) nocte interveniente, wegen Eintritts der Nacht. 2) tantum, nur.

**34.** Nunquam antea Romanae copiae majores in unum[1]) convenerant, neque duces fuerant meliores. Pugnatum est ingenti contentione, victusque ad postrēmum Pompejus et castra ejus direpta sunt. Ipse fugatus Alexandrīam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus erat propter juvenīlem ejus aetatem, acciperet auxilia. Qui[2]) fortunam magis quam amicitiam secūtus occīdit Pompejum, caput ejus et annŭlum Caesari misit. Quo[2]) conspecto Caesar lacrimas fudisse fertur.

1) in unum, an einem Orte. 2) s. Nr. 5 A. 2.

**35.** Mox Caesar Alexandrīam venit. Ipsi quoque Ptolemaeus insidias parare voluit, qua caussa regi bellum illatum est. Victus in Nilo periit, inventumque est corpus ejus cum lorīca aurea. Caesar Alexandrīa potitus regnum Cleopătrae dedit, Ptolemaei sorori. Rediens inde Caesar Pharnăcem, Mithridātis filium, rebellantem in Ponto atque multas populi Romani provincias occupantem, vicit acie, postea ad mortem coēgit.

**36.** Inde Romam regressus tertium se consulem fecit cum M. Aemilio Lepĭdo, qui ei magister equitum dictatori ante annum[1]) fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Juba, Numidiae rege, bellum reparaverat. Commisso proelio victor fuit Caesar apud Thapsum. M. Porcius Cato, M. Petrejus, Juba ipsi sibi mortem consciverunt. Postero anno Caesar in Hispanias profectus est, ubi Pompeji filii, Gnaeus et Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa proelia fuerunt, ultimum apud Mundam civitatem, quo Caesar victor discessit.

1) ante annum, das Jahr vorher.

**37.** Inde Caesar bellis civilibus toto orbe compositĭs
Romam rediit. Cum agere insolentius inciperet, conjuratum
est in eum a sexaginta vel amplius senatoribus equĭtibusque
Romanis. Praecipui fuerunt inter conjuratos duo Bruti, G.
Cassius, Servilius Casca. Ergo Caesar, cum senatūs die inter
ceteros ad curiam venisset, viginti tribus vulneribus confossus
est. Caesare interfecto bella civilia rursus exarserunt, quae
navāli pugna apud Actium confecta sunt ab Octaviāno, Cae- 31
săris nepōte, quem ille testamento herēdem relĭquerat et a. Chr.
nomen suum ferre jusserat. Is postea rempublicam per quadraginta quattuor annos solus obtinuit; anno vicesimo septimo ante Christum natum ei nomen datum est Augustus.

# De viris illustribus urbis Romae.

## 1. Romulus, Romanorum rex primus.

Romulus asȳlum convĕnis patefecit et, cum videret conjugia deesse, per legatos a finitimis civitatibus petiit. Quibus[1]) negatis ludos Consualia simulavit; ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines raptae sunt. Sabīni ob raptas bellum adversus Romanos sumpserunt. Et cum Romae appropinquarent et Tarpejam virginem nacti essent, quae ad aquam sacrorum caussa hauriendam descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Illa petiit, quod in sinistris manibus gerebant, videlĭcet annulos et armillas; quibus dolose repromissis Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius scutis eam obrui jussit; nam et[2]) ea in laevis habuerant.

Romulus adversus Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, processit et in eo loco, ubi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit; ibi Hostus Hostilius fortissime dimicans cecidit, cujus interitu consternati Romani fugere coeperunt. Tunc Romulus Jovi Statori aedem vovit, et exercitus seu forte seu divinitus restitit. Tunc raptae in medium processerunt; et hinc patres, inde marītos deprecatae pacem conciliarunt. Romulus foedus percussit et Sabinos in urbem recepit; populum a Curibus, oppido Sabinorum, Quirītes vocavit.

1) s. S. 42 Nr. 5 Anm. 2. 2) et, auch.

Centum senatores a pietate patres appellavit. Tres equitum centurias instituit, quas a suo nomine Ramnenses, a Tito Tatio Tatienses, a Lucumone Lucĕres appellavit. Populum in triginta curias distribuit easque raptarum nominibus appellavit.

Cum ad Caprae paludem exercitum lustraret, nusquam comparuit; unde inter patres et plebem seditione orta Julius Procŭlus, vir nobilis, in contionem processit et jurejurando firmavit, Romulum a se in colle Quirināli visum augustiore forma, cum ad deos abiret; eundemque praecipere, ut seditionibus abstinerent et virtutem colerent; futurum esse[1]), ut omnium gentium domini exsisterent. Hujus auctoritati creditum est. Aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro deo cultus et Quirīnus est appellatus.

1) futurum esse, es werde geschehen, Gr. §. 128.

## 2. Numa Pompilius, Romanorum rex secundus.

Post consecrationem Romuli, cum diu interregnum esset et seditiones orirentur, Numa Pompilius, Pompōnis filius, Curibus oppido Sabinorum accītus, cum Romam venisset, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit. Aedem Vestae fecit, virgines Vestales legit; flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem, Salios, Martis sacerdotes, quorum primus praesul vocatur, duodecim instituit; pontificem maximum creavit; portas[1]) Jano gemĭno aedificavit. Annum in duodecim menses distribuit, additis Januario et Februario. Leges quoque plures et utiles tulit, omnia, quae gerebat, jussu Egeriae Nymphae, conjugis suae, se facere simulans. Ob hanc tantam justitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus in Janicŭlo sepultus est.

1) Gemeint ist der Janustempel am römischen Markte, dessen beide Thüren im Kriege offen standen.

## 3. Tullus Hostilius, Romanorum rex tertius.

Tullus Hostilius, cujus avus bonam operam adversus Sabinos navaverat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certamine finivit. Albam propter perfidiam ducis Metii Fufetii diruit, Albanos Romam transire jussit. Curiam Hostiliam constituit. Montem Caelium urbi addidit. Dum

Numam Pompilium sacrificiis imitatur, Jovi Elicio litare non potuit et fulmine ictus cum regia conflagravit.

Cum inter Romanos et Albanos bellum esset exortum, ducibus Hostilio et Fufetio placuit rem paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatii, tres apud Albanos Curiatii; quibus[1]) foedere icto concurrentibus, statim duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati sunt. Unus Horatius quamvis integer, quia tribus impar erat, fugam simulavit et singulos per intervalla insequentes interfecit. Et cum spoliis onustus rediret, sororem obviam habuit; quae[1]) viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatiis erat, flere coepit. Frater eam occidit. Quare[2]) apud duumviros condemnatus ad populum provocavit; ubi patris lacrimis condonatus ab eo expiandi gratia sub tigillum missus est, quod nunc quoque viae superpositum, sororium appellatur.

Metius Fufetius, dux Albanorum, cum se invidiosum apud cives videret, quod bellum solo trigeminorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Vejentes et Fidenates adversum Romanos incitavit. Ipse a Tullo in auxilium arcessitus aciem in collem subduxit, ut fortunam sequeretur. Qua re Tullus intellecta magna voce ait, suo illud jussu Metium facere. Qua re hostes territi et victi sunt. Postero die Metius cum ad gratulandum Tullo venisset, jussu ipsius quadrīgis religatus et in diversa distractus est.

1) s. 1, 1. 2) s. S. 45 Nro. 16 Anm. 1.

## 4. Ancus Marcius, Romanorum rex quartus.

Ancus Marcius, Numae Pompilii ex filia nepos, aequitate et religione avo similis, Latinos bello domuit. Aventinum et Janicŭlum montes urbi addidit; nova moenia oppido circumdedit. Silvas ad usum navium publicavit. Salinarum vectīgal instituit. Carcerem primus aedificavit. Ostiam coloniam maritĭmis commeatibus opportunam in ostio Tiberis deduxit. Jus fetiale, quo legati ad res repetendas uterentur, ab Aequicŭlis transtulit.

## 5. L. Tarquinius Priscus, Romanorum rex quintus.

Lucius Tarquinius Priscus fuit Demarati Corinthii filius,

ejus, qui Cypsĕli tyrannidem fugiens in Etruriam commigravit. Ipse ab urbe Tarquiniis profectus Romam petiit. Advenienti aquila pileum sustulit et, cum alte subvolasset, reposuit. Tanăquil conjux, auguriorum perīta, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia et industria dignitatem atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus est; a quo tutor liberis relictus regnum intercepit et ita administravit, quasi jure adeptus esset. Centum patres in curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicavit: nomina mutare non potuit, Attii Navii auguris auctoritate deterritus. Latinos bello domuit. Circum maximum aedificavit. De Sabinis et priscis Latinis triumphavit. Murum lapideum urbi circumdedit. Filium tredecim annorum, quod in proelio hostem percussisset, praetexta bullaque donavit; unde haec ingenuorum puerorum insignia esse coeperunt. Post ab Anci liberis, immissis percussoribus, per dolum regno exutus et interfectus est.

### 6. Servius Tullius, Romanorum rex sextus.

Servius Tullius, Tullii Corniculani et Ocresiae captivae filius, cum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flammae species caput ejus amplexa est. Hoc visu Tanaquil summam dignitatem portendi intellexit. Marīto suasit, ut ita eum ut liberos suos educaret. Qui cum adolevisset, gener a Tarquinio assumptus est; et cum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore loco ad populum despiciens ait, Priscum gravi quidem, sed non letali vulnere accepto petere, ut interim, dum convalesceret, Servio Tullio dicto audientes essent. Servius Tullius quasi precario regnare coepit; sed recte imperium administravit. Etruscos saepe domuit, collem Quirinalem et Viminalem et Esquilias urbi addidit, aggerem fossasque fecit. Populum in quattuor tribus distribuit ac post plebi distribuit annōnam. Mensuras, pondera, classes centuriasque constituit. Latinorum populis persuasit, ut exemplo eorum, qui Dianae Ephesiae aedem fecissent, et[1]) ipsi aedem Dianae in Aventino aedificarent. Quo effecto cuidam Latino bos mirae magnitudinis nata est, et responsum somnio datum, eum populum

1) et, auch.

summam imperii habiturum, cujus civis bovem illam Dianae immolasset. Latinus bovem in Aventinum egit et caussam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus dixit, prius eum vivo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus, sibi gloriam quaesivit.

Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquinii filios pari animo esse videret, ut omnium mentes morum diversitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites seu forte seu fraude perierunt; feroces morum similitudo conjunxit. Statim Tarquinius Superbus a Tullia incitatus, advocato senatu, regnum paternum repetere coepit. Qua re audita Servius, dum ad curiam properat, jussu Tarquinii gradibus dejectus et domum refugiens interfectus est. Tullia statim in forum properavit et prima maritum regem salutavit; a quo jussa turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpore mulionem super ipsum corpus carpentum agere jussit; unde vicus ille sceleratus est dictus. Postea Tullia cum marito in exsilium acta est.

### 7. Tarquinius Superbus, Romanorum rex septimus.

Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit: occiso Servio Tullio regnum sceleste occupavit. Tamen bello strenuus, Latinos Sabinosque domuit, Suessam Pometiam Volscis eripuit. Gabios per Sextum filium simulato transfugio in potestatem redegit et ferias Latinas primus instituit. Foros in Circo et cloācam maximam fecit, ubi totius populi viribus usus est; unde illae fossae Quiritium sunt dictae. Cum Capitolium inciperet, caput hominis invenit, unde cognitum est, eam urbem caput gentium futuram. Cum filio in exsilium actus ad Porsennam, Etruriae regem, confugit; cujus ope regnum retinere conatus est. Pulsus Cumas concessit, ubi per[1]) summam ignominiam reliquum vitae tempus exegit.

1) Gr. §. 182, 4.

### 8. Horatius Cocles.

Porsenna, rex Etruscorum, cum Tarquinios in urbem restituere conaretur et primo impetu Janiculum cepisset, Horatius Cocles (illo cognomine, quod alio proelio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit et armatus ad suos tranavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est, quantum uno die circumarari potuisset. Statua quoque ei in Vulcanāli posita est.

### 9. G. Mucius Scaevŏla.

Cum Porsenna urbem obsideret, Mucius Cordus, vir Romanae constantiae, senatum adiit et veniam transfugiendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate in castra Porsennae venit ibique purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehensus et ad regem pertractus dextram aris imposuit, hoc supplicii ab ea exĭgens, quod in caede peccasset. Unde cum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium refĕrens ait, trecentos adversus eum similes conjurasse. Qua re ille territus bellum acceptis obsidibus deposuit. Mucio prata trans Tiberim data sunt, ab eo Mucia appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

### 10. Fabii trecenti sex.

Romani cum adversum Vejentes bellarent, eos sibi hostes familia Fabiorum privato nomine depoposcit; trecenti sex duce Fabio consule fuerunt. Cum saepe victores exstitissent, apud Cremĕram fluvium castra posuerunt. Vejentes ad dolos conversi pecora ex diverso in conspectu illorum protulerunt; ad quae progressi Fabii, in insidias delapsi ad unum occidione perierunt. Dies, quo id factum est, inter nefastos relatus est. Porta, qua profecti erant, scelerata est appellata. Unus ex ea gente propter impuberem aetatem domi relictus genus propagavit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, cunctator ab obtrectatoribus dictus.

### 11. A. Postumius.

Tarquinius ejectus ad Mamilium Tusculanum, generum

suum, confugit; qui cum Latio concitato Romanos graviter urgeret, A. Postumius dictator dictus apud Regillum lacum cum hostibus conflixit. Ubi cum victoria nutaret, magister equitum equis frenos detrăhi jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur; ubi et aciem Latinorum fuderunt et castra ceperunt. Sed inter eos duo juvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos dictator quaesitos, ut dignis muneribus honoraret, non repperit; Castŏrem et Pollūcem esse ratus communi titulo dedicavit.

### 12. Menenius Agrippa.

Menenius Agrippa dux electus adversum Sabinos de his triumphavit. Et cum populus a patribus secessisset, quod tribūto et militia premeretur, nec revocari posset, Agrippa apud eum: „Olim, inquit, humani artus, cum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt et suum illi ministerium negaverunt. Cum eo pacto et ipsi deficerent, intellexerunt, ventrem acceptos cibos per omnia membra disserere, et cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus et populus quasi unum corpus discordia pereunt, concordia valent.“ Hac fabula populus regressus est. Creavit tamen tribunos plebis, qui libertatem suam adversum nobilitatis superbiam defenderent. Menenius autem tanta paupertate decessit, ut eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulchro senatus publice daret.

### 13. Aesculapius Romam advectus.

Romani ob pestilentiam ad Aesculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt. Qui cum eo venissent et simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus ejus elapsus venerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanam perrexit et se in Ogulnii tabernaculo conspiravit. Legati deum vehentes Antium provecti sunt, ubi per malaciam maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit et post paucos dies ad navem rediit; et cum adverso Tiberi subveheretur, in proximam insulam desiluit; ubi templum ei constitutum, et pestilentia mira celeritate sedata est.

## 14. M. Furius Camillus.

Furius Camillus cum Faliscos obsideret ac ludi literarii magister principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum iisdem pueris in urbem redigendum et verberandum tradidit. Statim Falisci se ei ob tantam justitiam dediderunt. Vejos decenni obsidione hieme domuit deque his triumphavit. Postmodum est crimini datum, quod albis equis triumphasset et praedam inīque divisisset; die dicta ab L. Appulejo tribuno plebis damnatus Ardeam concessit. Mox cum Galli Senŏnes, relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium, Italiae oppidum, obsiderent, missi sunt Roma tres Fabii, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent. Ex his unus contra jus gentium in aciem processit et ducem Senonum interfecit. Qua re commoti Galli petitis in deditionem legatis nec impetratis Romam petierunt et exercitum Romanum apud Alliam fluvium ceciderunt. Victores Galli urbem intraverunt, ubi nobilissimos senum in sellis curulibus et honorum insignibus primo ut deos venerati, deinde ut homines despicati interfecere. Reliqua juventus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obsessa Camilli virtute est servata. Qui absens dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos improvidos internecione occidit. Populum Romanum migrare Vejos volentem retinuit. Sic et oppidum civibus et cives oppido reddidit.

## 15. L. Papirius Cursor.

Lucius Papirius, a velocitate Cursor, cum consulem se adversis ominibus adversum Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus edixit Fabio Rulliano, quem exercitui praeficiebat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille, opportunitate ductus, pugnavit. Reversus securi eum ferire voluit; ille in urbem confugit, nec supplicem tribuni tuebantur. Deinde pater lacrimis, populus precibus veniam impetrarunt. Papirius de Samnitibus triumphavit. Idem cum Praenestīnum praetorem gravissime increpuisset: „Expĕdi, inquit, lictor, securēs.“ Et cum eum metu mortis attonĭtum vidisset, incommodam ambulantibus radīcem excīdi jussit.

## 16. M'. Curius Dentatus.

Manius Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit, quos usque ad mare superum perpacavit. Iterum de Sabinis triumphavit. Tertio de Lucanis ovans urbem introivit. Pyrrhum Epirōtam Italia expulit. Quaterna dena agri jugera virītim populo divisit. Sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitium aurum offerentibus, cum ipse in foco rapas torreret: „Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse, et me aurum habentibus imperare.“ Cum interversae pecuniae argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit juravitque, se nihil amplius de praeda hostīli domum suam convertisse. Aquam deinde Aniēnem de manubiis hostium in urbem induxit. Tribunus plebis patres auctores fieri coēgit comitiis, quibus plebejus magistratus creabatur. Ob haec merita domus ei et agri jugera quinquaginta publice data sunt.

## 17. Pyrrhus rex Epirotarum.

Pyrrhus, rex Epirotarum, cum imperium orbis agitaret et Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambigue respondit:

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.

Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinis bellum Romanis intulit. Laevīnum consulem apud Heraclēam elephantorum novitate turbavit; cumque Romanos adversis vulneribus occisos videret: „Ego, inquit, talibus militibus brevi orbem terrarum subigere potuissem.“ Amicis gratulantibus: „Quid mihi cum tali victoria, inquit, ubi exercitus robur amittam?“ Ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit; captivos Fabricio gratis reddidit. Viso Laevini exercitu eandem sibi ait adversus Romanos quam Herculi adversus Hydram fuisse fortunam. A Curio et Fabricio superatus Tarentum refugit et in Siciliam trajecit. Mox in Italiam Locros regressus pecuniam Proserpĭnae avehere conatus est. Sed ea naufragio relata est. Tum in Graeciam regressus, dum Argos oppugnat, ictu tegŭlae prostratus est. Corpus ad Antigŏnum, regem Macedoniae, relatum magnifice sepultum est.

### 18. G. Duilius.

Gajus Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cum videret eos multum mari posse, classem magis validam quam decōram fabricavit; et manus ferreas cum irrīsu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naves apprehendit, qui victi et capti sunt. Hannibal, dux classis, Carthaginem fugit et a senatu quaesivit, quid faciendum esse censerent. Omnibus, ut pugnaret, acclamantibus: „Feci, inquit, et victus sum." Sic poenam crucis effugit. Nam apud Poenos dux male re gesta puniebatur. Duilio concessum est, ut praelucente funali et praecinente tibicĭne a coena rediret.

### 19. G. Claudius Nero et Hasdrubal frater Hannibalis.

Hasdrubal, frater Hannibalis, ingentibus copiis in Italiam trajecit, actumque erat[1]) de Romano imperio, si jungere se Hannibali potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale castra conjunxerat, relicta in castris parte cum delectis ad Hasdrubalem properavit et se Livio collegae apud Senam oppidum et Metaurum flumen conjunxit, amboque Hasdrubalem vicerunt. Nero regressus pari celeritate, qua venerat, caput Hasdrubalis ante vallum Hannibalis projecit. Quo ille viso vinci se fortuna Carthaginis confessus est. Ob haec Livius triumphans, Nero ovans urbem introierunt.

1) actum erat de —, es wäre geschehen gewesen um —.

### 20. P. Scipio Aemilianus.

Publius Scipio Aemilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione Africani filio adoptatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra rediret. Lucullo in Hispania legatus, apud Intercatiam oppidum provocatorem singulari proelio vicit. Muros hostilis civitatis primus ascendit. Tribunus in Africa sub M'. Manilio imperatore, cohortes octo obsidione vallatas consilio et virtute servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus est. Cum aedilitatem peteret, consul ante annos ultro factus, Carthaginem intra sex menses delevit.

Numantiam in Hispania, correcta prius militum disciplina, fame vicit; hinc Numantinus est dictus. Gajo Laelio plurimum usus est; ad reges adeundos missus duos secum praeter eum servos duxit. Ob res gestas superbus Gracchum jure caesum videri respondit. Obstrepente populo: „Taceant, inquit, quibus Italia noverca, non mater est“; et addidit: „Quos ego sub corona vendidi.“ Censor, Mummio collega segniore, in senatu ait: „Utinam mihi collegam aut dedissetis aut non dedissetis.“ Suscepta agrariorum caussa domi repente exanimis inventus obvoluto capite elatus est, ne livor in ore appareret. Hujus patrimonium tam exiguum fuit, ut XXXII libras argenti, duas et semilībram auri relinqueret.

# Äsopische Fabeln.

## 1. Der Wolf und das Lamm.

Ad eundem rivum lupus et agnus venerant, siti compulsi; superior stabat lupus, multo[1] inferior agnus. Tunc ille, cum agnum rapere vi nollet, jurgii[2] caussam intulit. „Cur, inquit, bibenti mihi aquam fecisti turbĭdam?“ Cui[3] agnus timens: „Qui[4] possum facere, quod quereris, lupe? A te aqua ad me decurrit.“ Repulsus ille veritatis vi: „Abhinc sex menses, inquit, mihi maledixisti.“ Tum agnus: „Illo tempore non eram natus.“ — „Pater hercŭle tuus, inquit, mihi maledixit.“ Atque ita agnum corrĭpit et lacĕrat.

1) multo inferior, viel weiter unten. 2) jurgii caussam intulit, gab Veranlassung zu einem Wortwechsel, fing einen Wortwechsel an. 3) cui, s. S. 42 Nr. 5 A. 2; zu agnus ergänze inquit. 4) qui, Adv., wie?

## 2. Die hochmüthige Krähe.

Gracŭlus inani superbia elatus pennas, quae pavoni deciderant, sustulit seque exornavit; deinde suos contemnens se formoso pavonum gregi immiscuit. Illi impudenti avi pennas eripiunt rostrisque fugant. Male mulcatus graculus maerens redire coepit ad suum genus; sed ab hoc turpiter repulsus est. Tum quidam ex illis, quos prius despexerat: „Si, quod

natura dederat, eo contentus fuisses, neque illam neque hanc contumeliam expertus esses.

### 3. Der habgierige Hund.

Canis cum carnem raptam flumen transportaret, in aqua vidit simulăcrum suum, aliamque praedam majorem ab alio ferri putans eripere voluit; verum deceptus cibum, quem tenebat ore, dimisit nec, quem petebat, attingere potuit.

### 4. Der Wolf und der Kranich.

Lupus, cum ejus faucibus os devoratum inhaereret, gruem oravit, ut illud extraheret, eique praemium promisit. Grus longitudine colli id facile effecit. Pro eo cum praemium flagitaret: „Ingrata es, inquit lupus, quae ex ore meo caput incolŭme extraxeris et mercedem postules.“

### 5. Der Wolf und der Fuchs.

Lupus arguebat vulpem furti; negabat illa, se esse culpae affīnem. Tunc simius inter illos judex sedit. Cum suam uterque caussam perorasset, simius dixisse fertur[1]) sententiam: „Tu, quod petis, perdidisse non videris; te credo surripuisse, quod pulchre[2]) negas.“

1) fertur, = dicitur, er soll. 2) pulchre, mit schönen, feinen Worten.

### 6. Der Hirsch an der Quelle.

Cervus ad fontem, cum bibisset, restĭtit[1]) et in liquōre effigiem suam vidit. Ibi dum laudat ramosa cornua crurumque tenuitatem nimiam vituperat, venantium vocibus subĭto conterritus per campum fugere coepit levīque cursu canes elūsit. Tum silva eum excepit; in qua[2]) cornibus retentus saevis canum morsibus lacerari coeptus est. Tunc moriens hanc vocem edidisse dicitur: „O me infelīcem! qui nunc demum intellĭgo, quam mihi utilia fuerint, quae despexeram, et quae[3]) laudaram, quantum mali habuerint.“

1) restitit, blieb stehen, von resisto. 2) in qua, = sed in ea. 3) quae — habuerint, construire: quantum mali habuerint (ea), quae laudaram.

### 7. Der Fuchs und der Rabe.

Corvus, qui caseum rapuerat, in alta arbŏre comesse volebat. Vulpes vidit et casei cupĭda sic loqui coepit: „O quantus est tuarum, corve, pennarum nitor! Quantum decŏris corpore et vultu geris! Si vocem haberes, nulla avis prior[1]) foret.“ Ille stultus, dum vocem ostendere vult, caseum ore emisit, quem dolosa vulpes celeriter arripuit.

1) prior, vorzüglicher.

### 8. Das Wiesel und der Mensch.

Mustēla ab homine comprehensa cum instantem necem effugere vellet: „Parce mihi, inquit, quae tibi domum molestis muribus purgo.“ Tum ille: „Si mea caussa faceres, gratum mihi esset, et veniam supplicii dedissem. Nunc[1]) quia id solum labōras, ut reliquiis fruaris, quas mures rosuri sunt, et simul ipsos devŏres, noli mihi vanum beneficium imputare.“ Sic locutus imprŏbam occīdit.

1) nunc, nun aber, so aber.

### 9. Der treue Hund.

Cūm fur nocturnus cani panem objecisset, tentans, si[1]) cibo capi posset: „Heus, inquit canis, linguam meam vis praecludere, ne latrem pro re familiari domini? Multum fallĕris. Nam ista subĭta benignitas me jubet vigilare, ne meā culpā lucrum facias.“

1) si, ob.

### 10. Der Frosch und der Ochs.

Rana in prato quondam conspexit bovem et magnitudini ejus invĭdens rugosam cutem inflavit. Tum natos suos interrogavit, num bove[1]) esset major. Illi negarunt. Rursum cutem intendit idque[2]) magis, et simili modo quaesivit, uter major esset. Illi dixerunt, bovem. Postremo indignata dum validius sese inflare vult, rupta est.

1) bove, Abl. der Vergleichung, statt quam bos. 2) idque, und das, und zwar.

### 11. Der Fuchs und der Adler.

Aquila vulpīnos catŭlos quondam sustulit in nidoque

pullis posuit, ut escam[1]) discerperent. Eam persecuta mater orare coepit, ne tantum luctum sibi miserae afferret. Illa contempsit, tuta ipso loco. Tum vulpes ab ara ardentem facem rapuit totamque arborem flammis circumdĕdit, ut cum hoste dolorem communicaret. Aquila ut periculo mortis suos eriperet, supplex vulpi catulos incolŭmes reddidit.

1) escam, als Speise.

## 12. Die zwei Maulesel.

Duo muli gravati sarcĭnis ibant: unus ferebat fiscos cum pecunia, alter tumentes multo hordeo saccos. Ille onĕre dives praecēdit celsis[1]) cervicibus emĭnens, comes sequitur quieto et placĭdo gradu. Subĭto latrones ex insidiis advŏlant interque caedem muliōnum ferro mulum divitem sauciant, diripiunt nummos, neglĭgunt vile hordeum. Spoliatus igitur cum casus suos fleret: „Equĭdem, inquit alter, me contemptum esse gaudeo; nam nihil amisi nec vulnere laesus sum.“

1) celsis cervicibus eminens, den Kopf hoch tragend.

## 13. Der Hirsch und die Ochsen.

Cervus, a venatoribus latibŭlis excitatus, ut instantem necem fugeret, caeco timore proximam villam petiit et se bubīli condidit. Hic[1]) bos latenti: „Quidnam tibi voluisti, infēlix, qui ad necem ultro cucurreris hominumque tecto vitam commiseris?“ At ille supplex: „Vos modo[2]) parcite, inquit; data occasione rursus erumpam.“ Sub vesperum bubulcus pabŭlum affert nec eum videt. Subinde eunt et redeunt rustĭci omnes, nemo animadvertit; transit etiam villĭcus neque quicquam sentit. Tum gaudens cervus bubus gratias agere coepit, quod hospitium adverso tempore praestitissent. „Salvum te esse cupimus, inquit unus; sed si ille, qui centum oculos habet, venerit, magno in periculo vita tua versabitur.“ Interea ipse dominus a coena redit, et quia nuper neglectos boves viderat, ad praesēpe accēdit: „Cur parum pabŭli est? Stramenta desunt.“ Dum singula scrutatur, cervi quoque cornua alta conspicatur. Quem[3]) occīdi jubet praedamque[4]) tollit.

1) hic, Adv., hier, da; zu bos ergänze inquit. 2) modo, Adv., nur. 3) quem, s. 1, 3. 4) praedam, als Beute.

### 14. Das Huhn und die Perle.

Pullus gallinaceus in sterquilīno dum quaerit escam, margarītam repperit. „Neglecta jaces, inquit, indigno loco! Si quis pretii tui cupidus te vidisset, jam dudum ad splendorem pristīnum redisses; quod[1]) ego te inveni, cui multo potior est cibus, nec tibi nec mihi quicquam prodesse potest.“

1) quod, daß.

### 15. Die Grille und die Nachteule.

Cicāda convicium noctuae acerbum faciebat (solet enim haec victum noctu quaerere et interdiu in cava arbore somnum capere). Rogata est, ut taceret. At multo validius clamare coepit. Rursus admotā prece magis accensa est. Noctua ut vidit, nullum sibi auxilium esse et verba sua contemni, garrŭlam cicadam hac fallacia aggressa est: „Quia cantus tui suaves dormire me non sinunt, inquit, in animo habeo nectar potare, quod Minerva mihi nuper donavit; si non fastīdis, veni; unā[1]) bibamus!“ Cicada, quae siti ardebat, simulatque cognovit, vocem suam laudari, cupide advolavit. Noctua miseram consectata occīdit. Sic, quod viva negarat, tribuit mortua.

1) una, Adv., mitsammen.

### 16. Die Bäume der Götter.

Olim di legerunt arbores, quae in tutēla sua essent. Quercus Jovi, myrtus Venĕri placuit, Phoebo laurus, pinus Cybēbae, alta popŭlus Hercŭli. Minerva mirabunda interrogavit, quare sterīles arbores sumerent. Juppiter caussam affert: „Ne honorem fructu vendere videamur.“ — „At olīva mihi propter fructum est gratior.“ Tum sic deorum pater: „O filia, merito ab omnibus sapiens diceris. Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.“

### 17. Der Fuchs und die Traube.

Vulpes, extrema fame coactă, uvam alta in vinea appetebat, saliens summis viribus. Quam[1]) ut tangere non potuit: „Nondum matūra est, inquit; nolo acerbam sumere.“

1) quam, s. 1, 3.

### Äsop und der Muthwillige.

Aesōpo petŭlans quidam lapidem impegerat. Cui ille: „Tanto melior[1])“, inquit. Assem deinde ei dedit his verbis prosecutus: „Plus non habeo, sed monstrabo tibi, unde[2]) accipere possis. Ecce venit homo dives et potens; huic similiter lapidem impinge, dignum[3]) praemium accipies.“ His verbis adductus ille fecit, quod monĭtus erat. Sed spes audacem fefellit; nam comprensus justas poenas persolvit.

1) tanto melior (es), ei brav! 2) unde, = a quo. 3) dignum, verdient.

### Der spielende Äsop.

Atheniensis quidam cum Aesopum in turba puerorum nucibus ludentem[1]) vidisset, restĭtit[2]) eumque quasi delīrum risit. Quod simulatque sensit senex, arcum retensum in media via posuit: „Heus, inquit, sapiens[3]) expĕdi, quid fecerim“[4]). Concurrit populus. Ille se diu torquet nec caussam quaestionis intellĭgit[5]). Postremo succumbit[6]). Tum victor[7]) philosŏphus: „Cito arcus erit inutilis, si semper tensum eum habueris; si laxaris, cum voles, utēre.“

1) te ludentem video, ich sehe dich spielen. 2) restitit, blieb stehen. 3) sapiens, wenn du weise bist. 4) quid fecerim, was ich damit will. 5) nec — intelligit, und weiß die Frage nicht zu erklären. 6) succumbit, er giebt sich besiegt. 7) victor, siegreich, siegend.

## Erzählungen.

1. Cum Socrăti discipuli pro suis quisque facultatibus[1]) multa offerrent, Aeschīnes, pauper audītor: „Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod[2]) unum habeo, me ipsum. Hoc munus, qualecunque est, boni consŭle[3]), cogitāque, alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.“ Cui[4]) Socrates: „Quidni[5]) tu, inquit, mihi magnum

1) facultates, s. Gr. §. 52. 2) quod unum habeo, das Einzige, was ich habe. 3) boni consule, s. Gr. §. 204 A. 2. 4) cui, s. S. 42 Nr. 5 Anm. 2. 5) quidni — dederis, warum solltest du nicht gegeben haben?

munus dederis, nisi forte [6]) te parvi aestimas? Erit igitur mihi curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi.“ Vicit Aeschines hoc munere omnem juvenum opulentorum munificentiam.

6) nisi forte, es sei denn daß, es müßte denn sein, daß.

2. Magnus ille Alexander multos scriptores rerum suarum secum habuisse dicitur [1]). Atque is tamen, cum in Sigēo ad Achillis tumŭlum adstitisset: „O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homērum praecōnem inveneris!“ Et vere; nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset.

1) dicitur, soll.

3. Themistŏcles, cum ei Simonĭdes artem memoriae polliceretur: „Oblivionis [1]), inquit, mallem. Nam memini etiam, quae nolo; oblivisci non possum, quae volo.“

1) oblivionis, ergänze artem.

4. Saepe laudabo sapientem illum Biantem, qui numeratur in septem sapientibus. Cujus [1]) cum patriam Priēnen cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, admonĭtus [2]) a quodam, ut idem ipse [3]) faceret: „Ego vero [4]), inquit, facio; nam omnia mecum porto mea.“

1) cujus, s. 1, 4. 2) admonitus, dieses Particip gehört zu inquit. 3) ipse, auch er. 4) ego vero, fürwahr ich thue es, ich thue es ja.

5. Nasīca cum ad poëtam Ennium venisset eique ab ostio quaerenti [1]) Ennium ancilla dixisset domi non esse [2]), sensit, illam domini jussu [3]) dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius et eum a janua quaereret, exclāmat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: „Quid [4])? ego non cognosco, inquit, vocem tuam?“ Hic [5]) Nasica: „Homo es impŭdens. Ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?“

1) quaerere Ennium, nach E. fragen. 2) esse, nämlich Ennium. 3) jussu, s. Gr. §. 208a A. 2. 4) quid, was? oder wie? 5) hic, Adv.

6. Orator quidam malus cum in epilŏgo misericordiam se movisse putaret, postquam assēdit, rogavit Catŭlum, videreturne misericordiam movisse. „Ac magnam quidem, inquit;

neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit."

7. Pythagŏras cum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur. Sed id non credo, quoniam ille ne Apollĭni quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret.

8. Theodōrus, philosŏphus non ignobilis, cum ei Lysimăchus rex crucem minaretur: „Istis, quaeso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis! Theodōri quidem[1]) nihil interest, humīne[2]) an sublīme putescat."

1) quidem dient hier zur starken Hervorhebung des vorangehenden Wortes und wird nicht übersetzt. 2) humine, humi und das fragende ne (ob); sublīme, Adv., s. Gr. §. 133 Anm. 1.

9. Diogĕnes philosophus projĭci se jussit inhumatum. Tum amici[1]): „Volucribusne et feris?" „Minime vero[2]), inquit; sed bacillum propter me, quo[3]) abĭgam, ponitote." „Qui[4]) id potĕris? illi; non enim senties." — „Quid igitur mihi ferarum[5]) laniatus obĕrit nihil sentienti?"

1) amici, ergänze hiezu dixerunt, wie nachher zu illi. 2) minime vero, nein, durchaus nicht. 3) quo, = ut eo. 4) qui, Adv., wie? 5) ferarum (subject. Gen.) laniatus, von wilden Thieren zerfleischt zu werden.

10. Xenocrătes, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, abduxit legatos ad coenam in Academīam, iis apposuit tantum[1]), quod satis esset. Cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet: „Quid?[2]) vos hesterna, inquit, coenŭla non intellexistis, me pecunia non egere?" Quos[3]) cum tristiores[4]) vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

1) tantum, quod, nur soviel daß es, nur soviel als. 2) quid, wie? 3) quos, s. 1, 4. 4) tristiores, etwas verdrießlich, etwas verstimmt.

11. Cum apud Lacedaemonios tyrannus coenavisset Dionysius, negavit[1]), se jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: „Minime mirum[2]); condimenta enim defuerunt."— „Quae tandem[3])?" inquit ille. —

1) negavit, er sagte, daß nicht. 2) mirum, ergänze est. 3) tandem in Fragen = doch.

„Labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epŭlae condiuntur.“

**12.** Scipio Africānus minor, cum ab eo quidam vetus assectator non impetraret, ut se praefectum in Afrĭcam duceret, et id ferret moleste: „Noli, inquit, mirari, si tu hoc a me non impĕtras. Ego jam pridem ab amico quodam meo peto, ut mecum praefectus proficiscatur, et adhuc impetrare non possum.“

**13.** Proditum est memoria[1]), Latōnam ex[2]) longo errore et fuga confugisse Delum atque ibi Apollĭnem Dianamque peperisse; qua[3]) ex opinione hominum illa insula eorum deorum[4]) sacra putatur; tantaque ejus auctoritas religionis et est et semper fuit, ut ne Persae quidem, cum bellum toti Graeciae, dis hominibusque, indixissent et mille numero[5]) navium classem ad Delum appulissent[6]), quidquam conarentur aut violare aut attingere.

1) s. Gr. §. 213 A. 2. 2) ex, nach, s. Gr. §. 226, 2. 3) qua, s. 1, 4; ex, in Folge, wegen, s. Gr. §. 226, 5. 4) deorum, über den Genitiv bei sacer s. Gr. §. 199, 3. 5) numero, an der Zahl, kann im Deutschen wegbleiben. 6) classem appellere ad D., mit einer Flotte auf D. landen.

**14.** In Sicilia instituta atque edicta praetorum fuerunt ejusmŏdi, ne quis cum telo servus esset. L. Domitius praetor in Sicilia, cum aper ingens ad eum allatus esset, admiratus requisivit, quis eum percussisset; cum audisset, pastorem cujusdam fuisse, eum vocari ad se jussit. Ille cupĭde ad praetorem quasi ad laudem atque ad praemium accucurrit. Quaesivit Domitius, qui[1]) tantam bestiam percussisset. Ille respondit, venabŭlo[2]). Statim deinde jussu praetoris in crucem est sublatus. Durum hoc fortasse videatur, sed maluit Domitius crudelis in animadvertendo, quam in praetermittendo dissolūtus videri.

1) qui, Adverb, wie. 2) ergänze se percussisse.

**15.** Gyges, regius pastor, cum terra discessisset, descendit in illum hiātum, aëneumque equum animadvertit, cujus in lateribus fores essent; quibus apertis[1]) corpus hominis mor-

1) quibus apertis, nach Öffnung derselben (der Thüre).

tui vidit magnitudine inusitata[2]) anulumque aureum in digĭto; quem[3]) ut detraxit, ipse induit, tum in concilium se pastorum recepit. Ibi cum palam ejus anŭli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, cum in locum[4]) anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus regem dominum interēmit, sustŭlit, quos obstare arbitrabatur[5]); nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio[6]) rex exortus est Lydiae.

2) magnitudine inusitata, Abl. qualitatis zu hominis. 3) quem, s. 1, 4. 4) locus, hier: die rechte, gehörige Stelle. 5) Diejenigen, von welchen er glaubte, daß sie ihm im Wege stehen. 6) beneficio, mittelst, s. Gr. §. 213 A. 1.

**16.** Xanthippe, Socrătis philosŏphi uxor, morosa admŏdum fuisse fertur et jurgiosa. Hanc ejus intemperiem[1]) Alcibiădes demiratus interrogavit Socratem, quaenam ratio[2]) esset, cur muliĕrem tam acerbam domo non exigeret. „Quoniam, inquit Socrates, cum illam domi perpetior, insuesco ceterorum quoque hominum petulantiam et injuriam facilius ferre."

1) abhängig von demiratus. 2) ratio, der Grund.

**17.** L. Cornelius consul primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Hanno, dux Carthaginiensium, occiderat, corpus ejus e tabernaculo suo amplo funere extulit nec dubitavit hostis exsequias ipse celebrare, eam demum victoriam et apud deos et apud homines minimum invidiae habituram credens, quae quam plurimum humanitatis habuisset.

**18.** Imperator Titus fuit vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciae humani generis diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Tantae civilitatis in imperio fuit, ut neminem puniret. Facilitatis et liberalitatis tantae fuit, ut, cum nulli quidquam negaret et ab amicis reprehenderetur, responderet neminem tristem debere ab imperatore discedere; praeterea cum quodam die in coena recordatus esset, nihil se illo die cuiquam praestitisse: „Amici, inquit, hodie diem perdidi."

## 19. Die sibyllinischen Bücher.

Anus quaedam olim ad Tarquinium Superbum regem adiit[1]), novem libros ferens, quos[2]) esse dicebat divīna oracŭla. Cum eos velle se venundăre diceret, Tarquinius pretium percontatus est; mulier immensum poposcit. Rex, quasi anus desiperet, derisit. Tum illa focŭlum coram eo cum igne apposuit et tres libros ex novem deussit et regem interrogavit, ecquid[3]) relĭquos sex eodem pretio emere vellet. Sed Tarquinius id multo magis risit dixitque, anum jam procul dubio[4]) delirare. Mulier tres alios libros exussit atque denuo rogavit, ut tres reliquos eodem illo[5]) pretio emeret. Tarquinius jam[6]) eam constantiam confidentiamque non negligendam esse intellĭgit et libros tres reliquos mercatur non minore pretio, quam[7]) quod erat petītum pro omnibus. Sed ea mulier tunc a Tarquinio digressa postea nusquam visa est. Libri tres in sacrarium condĭti Sibyllīni sunt appellati.

1) adiit, s. Gr. §. 169, 2. 2) quos esse dicebat, von denen sie sagte, daß sie seien. 3) ecquid, ob. 4) procul dubio, = sine dubio, sonder Zweifel. 5) idem ille, eben jener. 6) jam, nun, nunmehr. 7) quam, ergänze id erat.

## 20. Papirius Prätextatus.

Mos senatoribus Romae fuit, in curiam cum praetextatis filiis introire. Tunc in senatu res major[1]) quaepiam consultata et in diem posterum prolata est, placuitque, ne quis[2]) eam rem enuntiaret, priusquam decrēta esset. Mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu patres egissent. Puer respondit, tacendum esse, neque id dici licēre. Mulier fit audiendi cupidior. Quaerit igitur violentius. Tum puer lepĭdi atque festīvi mendacii consilium capit; actum[3]) in senatu dicit, utrum videretur utilius, unum[4]) duas uxōres habere, an unam duobus nuptam esse. Hoc illa ubi audivit, animo compavescit; domo trepĭdans egreditur, ad ceteras matrōnas defert, quod audierat. Perveniunt ad senatum postĕro die matres-

1) res major, eine Sache von Wichtigkeit. 2) placuit, ne quis, man beschloß, daß Niemand solle. 3) ergänze esse. 4) unum, Accus. des Subjects.

familias plurimae; lacrimantes atque obsecrantes orant, ut una potius duobus nupta fieret, quam ut uni duae. Senatores ingredientes in curiam mirabantur, quae illa mulierum intemperies esset, et quid sibi postulatio istaec[5]) vellet[6]). Puer Papirius, in mediam curiam progressus, rem, sicŭti fuerat, denarravit, quid mater instítisset[7]), quid ipse matri dixisset. Senatus fidem atque ingenium pueri laudans decrevit, ne posthac pueri cum patribus in curiam intrarent, nisi[8]) ille unus Papirius; eique puero postea cognomen inditum est Praetextatus.

5) istaec, s. Gr. §. 78, 5 A. 6) quid sibi — vellet, was — bedeute; Gr. §. 185 A. 4. 7) quid — instítisset, wie sie in ihn gedrungen hätte, von instare. 8) nisi, außer.

## 21. Unverhoffte Freude tödtet zuweilen.

Philippĭdes, comoediarum poëta haud ignobilis, cum in certamine poëtarum praeter[1]) spem vicisset et incredibiliter gauderet, inter[2]) illud gaudium repente mortuus est. Praeterea in nostris annalibus scriptum legimus, qua[3]) tempestate apud Cannas exercitus populi Romani caesus est, anum matrem[4]), nuntio de morte filii allato, luctu atque maerore affectam esse. Sed is nuntius non verus fuit, atque is adolescens non multo post ex ea pugna in urbem rediit; anus, repente filio viso, inopinato gaudio oppressa exanimataque est.

1) praeter spem, wider Erwarten, s. Gr. §. 181, 2. 2) inter, während, s. Gr. §. 183, 2. 3) qua tempestate = ea tempestate (Zeit), qua. 4) anus mater, ein altes Mütterchen.

## 22. Fabricius Luscinus.

P. Cornelius Rufīnus egregie quidem fortis et bonus imperator fuit, sed homo avārus et furax. Hunc G. Fabricius Luscīnus non probabat neque amico utebatur[1]) oderatque eum propter mores. Sed cum in[2]) temporibus reipublicae difficillimis consules creandi essent, et is Rufinus peteret consulatum, competitoresque ejus essent imbelles et futĭles, summa ope[3]) adnīsus est Fabricius, ut Rufino consulatus

1) utebatur, ergänze aus hunc hiezu eo; amico ist Prädicatsablativ, s. Gr. §. 221 A. 2. 2) in temporibus, s. Gr. §. 161 A. 2. 3) summa ope, mit aller Kraft.

deferretur. Eam rem plerisque admirantibus, quod hominem avarum, cui esset inimicissimus, creari consulem studeret: „Nihil est[4]), inquit Fabricius, quod miremini, si malui compilari quam venire[5]).“

4) nihil est, quod, es ist kein Grund, daß. 5) venire, von veneo.

## 23. Antiochus und Hannibal.

Ostendebat Hannibăli Antiŏchus, rex Syriae, in campo copias ingentes, quas ad bellum populo Romano inferendum comparaverat. Inducebat etiam currus cum falcibus et elephantos cum turribus equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phalĕris praefulgentem. Atque ibi rex Hannibălem adspĭcit et: „Putasne, inquit, satis esse Romanis haec omnia?“ Tum Poenus: „Satis plane, inquit, satis esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt.“

## 24. Androclus und der Löwe.

In Circo maximo venatio[1]) amplissima populo dabatur. Ibi praeter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit, praeterque ceteros unus. Is leo corporis magnitudine, terribili fremĭtu, toris comisque cervīcum fluctuantibus animos oculosque omnium in sese converterat. Introductus erat inter complūres ad pugnam bestiarum servus viri consularis. Ei servo Andrŏclus nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente quasi admīrans stetit, deinde sensim atque placĭde tanquam noscĭtans ad hominem accēdit. Tum caudam more adulantium canum clementer et blande movet hominisque sese corpori adjungit cruraque ejus et manus prope jam exanimati metu linguā leniter demulcet. Androclus inter illa tam atrōcis ferae blandimenta amissum animum[2]) recuperat paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum laetos et gratulabundos videres[3]) hominem et leonem. Ea re tam admirabili maximi populi clamores excitati sunt, arcessitusque est a Caesăre Androclus et interrogatus, cur ille atrocissimus leo uni[4]) pepercisset.

1) venatio, der Thierkampf. 2) animus, die Fassung. 3) videres, man hätte sehen können. 4) uni, statt ei uni, ihm allein.

Ibi Androclus rem admirandam narrat. Cum provinciam, inquit, Afrĭcam proconsulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi inīquis et quotidianis ejus verberibus ad fugam sum coactus et, ut mihi a domino tutiores latĕbrae forent, in camporum et arenarum solitudines concessi. Tum sole flagrante specum quendam nactus remōtum latebrosumque, in eum me recondo. Neque multo post ad eundem specum venit hic leo, debĭli[5]) uno et cruento pede. Qui postquam, ingressus in habitacŭlum illud suum, vidit[6]) me procul delitescentem, mitis et mansuetus accessit ac sublatum pedem ostendere mihi ac porrigere visus est. Ibi ego stirpem ingentem ex pede ejus revelli saniemque vulnere intĭmo expressi accuratiusque sine magna jam formidine detersi cruorem. Ille tunc pede in manibus meis posito recubuit et quievit.

Atque ex eo die triennium totum ego et leo in eodem specu eodem victu viximus. Nam quas venabatur feras, earum[7]) membra opimiora ad specum mihi suggerebat; quae ego, ignis copiam non habens[8]), sole meridiano torrebam. Sed ubi me vitae illius ferīnae jam pertaesum est, leone ad venandum profecto relīqui specum et viam ferme tridui permensus a militibus visus comprehensusque sum et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitālis damnandum dandumque ad bestias curavit[9]). Intellĭgo autem, hunc quoque leonem me tunc separato[10]) captum gratiam mihi nunc beneficii et medicinae referre. Cunctis petentibus dimissus Androclus et poena solutus est, leōque ei suffragiis populi donatus. Postea Androclus et leo loro tenui revinctus urbe tota circum tabernas ibant, donabatur aere Androclus, floribus spargebatur leo, omnes obvii dicebant: Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.

5) debili — pede, = cum debilis esset — pes. 6) vidit me delitescentem, er sah, wie ich mich versteckte. 7) quas — earum, = earum ferarum, quas. 8) ignis copiam non habens, da ich kein Feuer bekommen konnte. 9) curavit, s. S. 34 Nro. 78 Anm. 10) me tunc separato, nach meiner damaligen Entfernung.

## 25. Euclid von Megara.

Decrēto Athenienses caverant[1]), ut, qui Megarensis civis

1) cavere ut, festsetzen, bestimmen, daß.

esset, si Athenas pedem intulisset, ea res ei homini capitalis esset. Tum Euclīdes Megarensis, qui ante id decretum et esse Athenis et audire Socratem consueverat, postquam id decretum cognovit, sub noctem tunĭca longa muliĕbri indūtus et pallio versicolōre amictus e domo sua Megăris Athenas ad Socratem commeabat, ut vel[2]) noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque ejus fieret particeps, rursusque sub lucem milĭa passuum paulo amplius[3]) viginti eādem[4]) veste illa tectus redibat.

2) vel, sogar. 3) nach amplius ist quam zu ergänzen. 4) idem ille, eben jener.

## 26. Cato tadelt den Albinus.

Juste venustēque reprehendisse dicitur A. Albīnum M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res[1]) Romanas oratione Graeca scripsit. In ejus historiae principio dixit, neminem succensere sibi debere, si quid in his libris parum composite aut minus eleganter scriptum foret. „Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio; Graeca oratio a nobis alienissima est.“ Ea cum legisset M. Cato: „Ne[2]) tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum[3]) maluisti culpam deprecari quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum[4]) imprudentes erravimus, aut cum compulsi peccavimus. Quis te perpŭlit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?“

1) res, die Geschichte. 2) ne, fürwahr. 3) cum, indem. 4) cum, wenn.

## 27. Cato und Carthago.

Cato odio Carthaginis flagrans, cum clamaret omni senatu[1]), Carthaginem delendam, attŭlit quodam die in curiam praecŏcem ex ea provincia ficum, ostendensque patribus: „Interrogo vos, inquit, quando hanc ficum demptam putetis ex arbore.“ Cum inter omnes recentem esse[2]) constaret: „Atqui tres, inquit, abhinc dies scitote decerptam Carthagine; tam prope a[3]) muris habemus hostem.“ Statimque susceptum est Punĭcum tertium bellum, quo Carthago deleta est.

1) omni senatu, in jeder Senatssitzung. 2) ergänze eam. 3) prope a, nahe bei.

### 28. Furius vor Gericht.

G. Furius cum in parvo agello largiores multo fructus perciperet quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, quasi fruges alienas pelliceret[1]) veneficiis. Quamobrem die dicta[2]) metuens damnationem, instrumentum rustĭcum omne in forum attulit et adduxit familiam valĭdam atque bene curatam ac vestītam, ferràmenta egregie facta, graves ligōnes, vomĕres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: „Veneficia mea, Quirītes, haec sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudōres.“ Omnium sententiis absolutus est.

1) pellicere veneficiis, verzaubern. 2) die dicta, als ihm ein Gerichtstermin bestimmt, d. i. als er angeklagt worden war.

### 29. Hochherzigkeit des röm. Senats.

Confecto Macedonico bello Musochănes, Masinissae filius, cum equitibus, quos in praesidium Romanorum adduxerat, ab imperatore Paullo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa Brundisium aeger delatus est. Quod ubi senatus Romanus cognovit, continuo illo quaestorem ire jussit, cujus curā et hospitium adolescenti expediretur et omnia, quae ad valetudinem opus essent, praeberentur impensaeque liberaliter cum ipsi tum toti comitatui praestarentur; naves etiam prospexit, quibus se bene ac tuto cum suis in Africam trajiceret. Equitibus singulas libras argenti et quingenos sestertios dari imperavit. Quae patrum humanitas efficere potuit, ut, etiamsi exspirasset adolescens, aequiore animo desiderium ejus pater toleraret.

### 30. Schlauheit des Demosthenes.

Demosthenis astutia mirifice cuidam anicŭlae succursum est, quae pecuniam a duobus hospitibus acceperat ea conditione, ut illam simul utrique redderet. Quorum alter interjecto tempore[1]) tanquam mortuo socio squalore obsĭtus deceptae omnes nummos abstulit. Supervenit deinde alter et depositum petere coepit. Haerebat misera et in maxima pariter et pecuniae et defensionis penuria jam de laqueo et suspendio cogitabat. Sed opportune Demosthenes ei patrōnus

1) interjecto tempore, nach Verlauf einiger Zeit.

adfuit. Qui ut in advocationem venit: „Mulier, inquit, parata est fidem solvere; sed nisi socium adduxeris, id facere non potest, quoniam, ut ipse vociferaris, haec dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeraretur.

### 31. Eine Fabel Äsops.

Aesōpus ille e Phrygia fabularum scriptor haud immerito sapiens existimatus est. Haec ejus fabula de avicŭlae nidŭlo lepide atque jucunde monet, spem fiduciamque rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio, sed in semet ipso habendam. Avicula, inquit, est parva. Nomen est cassīta. Habitat nidulaturque in segetibus, id ferme temporis, cum appĕtit messis, pullis jamjam plumantibus. Ea cassita in sementes forte congesserat tempestiviores. Propterea frumentis flavescentibus pulli etiam tunc involucres erant. Cum igitur ipsa iret cibum pullis quaesitum, monet eos, ut, si quid ibi rei novae fieret dicereturve, animadverterent idque sibi, ubi redisset, renuntiarent. Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocat, et: „Videsne, inquit, haec ematuruisse? Idcirco die crastĭno, ubi primum dilucescet, amicos roga, ut veniant operamque mutuam dent.“ Haec ubi ille dixit, discessit, atque, ubi rediit cassita, pulli trepidi circumstrĕpunt orantque matrem, ut statim jam propĕret inque alium locum sese asportet; „nam dominus, inquiunt, misit filium, qui amicos rogaret, ut luce oriente venirent et meterent.“ Mater jubet eos animo otioso esse: „si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, cras seges non metetur, neque necesse est, hodie vos auferre.“

Die igitur postero mater in pabulum volat. Dominus, quos rogaverat, opperitur. Sol fervet, et fit nihil, et amici nulli adsunt. Tum ille rursum filio: „Amici isti, inquit, cessatores sunt. Quin potius imus et cognatos, affines vicinosque nostros oramus, ut adsint cras ad metendum?“ Itĭdem hoc pulli perterriti matri nuntiant. Mater hortatur, ut tum quoque sine metu ac sine cura sint; cognatos affinesque ad laborem capessendum cunctari nec statim dicto obedire. „Vos modo, inquit, advertite, si quid denuo dicetur.“ Alia luce orta, avis in pastum profecta est. Cognati et affines opera

supersederunt. Ad postremum igitur dominus filio: „Valeant, inquit, amici cum propinquis! Afferes prima luce falces duas: unam egomet mihi, et tu tibi capies alteram; et frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus.“ Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit: „Tempus, inquit, est cedendi et abeundi: fiet nunc sine dubio, quod futurum dixit. Ipse enim, cujus est res, non alius opus facit.“ Atque ita cassita migravit, et seges a domino demessa est.

## 32. Ein Gespenst.

Erat Athēnis ampla domus, sed infāmis. Per silentium noctis sonus ferri et strepĭtus vinculorum reddebatur[1]; mox apparebat idōlon, senex macie[2] et squalōre confectus, promissa barba, horrenti capillo; cruribus compĕdes, manibus catēnas gerebat quatiebatque. Inde incŏlae tristes dirasque noctes per metum[3] pervigilabant; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imāgo, memoria imaginis oculis obversabatur. Deserta inde domus totaque illi monstro relicta est; proscribebatur tamen. Venit Athenas philosŏphus Athenodōrus, legit titŭlum, auditoque pretio percontatus omnia docetur ac nihilo minus condūcit. Ubi coepit advesperascere, jubet sterni[4] sibi primā domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen; suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua[5] mens audita simulācra et inānes sibi metus fingeret.

Initio silentium noctis erat, deinde concutiebatur ferrum, vincŭla movebantur; ille non tollebat oculos, non remittebat stilum, sed offirmabat animum; tum crebrescebat fragor, adventabat, jam ut in limĭne, jam ut intra limen audiebatur; respĭcit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat[6] innuebatque digĭto, similis vocanti; hic contra, ut[7] paulum exspectaret, manu signifĭcat rursusque ceris et stilo incum-

1) reddi, widerhallen, ertönen. 2) macie et squalore confectus, ganz abgemagert und mit Schmutz bedeckt. 3) per metum, in Furcht. 4) sterni, daß das Studirsopha hergerichtet werde. 5) vacuus, unbeschäftigt. 6) stabat, nämlich effigies. 7) ut — exspectaret, abhängig von significat, gibt ein Zeichen, daß — warten solle.

bit; illa scribentis capiti catenis insonabat; respicit rursus innuentem, nec moratus[8]) tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis; postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa desĕrit comĭtem; desertus herbas et folia concerpta signum illo loco ponit. Postero die adit magistratus, monet, ut illum locum effŏdi jubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicĭta; collecta publice[9]) sepeliuntur. Domus postea manibus [10]) caruit.

8) nec moratus, und ohne Verzug. 9) publice, von Staats wegen, auf Gemeindekosten. 10) manibus, von manes, ium.

## 33. Arria.

Aegrotabat Caecīna Paetus, marītus Arriae; aegrotabat et[1]) filius, uterque periculose, ut videbatur. Filius decessit, eximia pulchritudine[2]), pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus, quam quod filius erat. Huic illa ita funus paravit, ita duxit exsequias, ut ignoraret marītus; quin imo[3]), quotiens cubicŭlum ejus intraret, vivere filium atque etiam[4]) commodiorem esse[5]) simulabat, ac persaepe interroganti, quid ageret[6]) puer, respondebat: Bene quievit, libenter cibum sumpsit. Deinde, cum diu cohibitae lacrĭmae prorumperent[7]), egrediebatur; tunc se dolori dabat; satiata[8]) siccis oculis composito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset.

1) et, auch. 2) eximia pulchritudine, Abl. der Eigenschaft, ein Jüngling von ausnehmender Schönheit. 3) quin imo, ja sogar. 4) etiam, sogar. 5) commodior sum, ich befinde mich besser. 6) quid agis? was machst du? wie geht es dir? 7) prorumperent, — hervorzubrechen drohten. 8) satiata, wenn sie sich satt geweint hatte.

## 34. Cimon.

Cimon, Miltiădis filius, Atheniensis, fuit tanta liberalitate, ut, cum compluribus locis praedia hortosque haberet, nunquam iis custodem imponeret fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quominus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedisĕqui cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, cum aliquem videret

minus bene vestitum, suum amicŭlum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut, quos invocatos[1]) vidisset in foro, omnes devocaret; quod facere nullo die praetermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic cum se gesserit, minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura et mors acerba[2]).

1) invocatus, uneingeladen, Gr. §. 141, 5. — 2) nämlich für die Athener.

### 35. Alcibiades.

Alcibiădes Atheniensis, natus summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus erat, ad omnes res aptus consiliique plenus, dives, cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens, luxuriosus, libidinosus, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam. Educatus est in domo Perĭclis, eruditus a Socrate; socerum habuit Hipponīcum, omnium Graece loquentium ditissimum.

Alcibiades, cum[1]) Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes splendore ac dignĭtate superavit vitae. Postquam inde expulsus Thebas venit, adeo studiis Thebanorum inservivit, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequare. Idem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedit, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret. Fuit apud Thraces, homines vinolentos; hos quoque in hac re antecessit. Venit ad Persas, apud quos summa laus erat fortiter venari; horum sic imitatus est consuetudinem, ut illi ipsi eum in hac re maxime admirarentur. Quibus rebus effecit, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur habereturque carissimus.

1) cum, obgleich.

### 36. Pythagoras.

Pythagŏras philosophus, Sami natus magnaque sapientia

formatus, in Aegyptum primo, mox Babylōna[1]) ad perdiscendos siderum motus originemque mundi spectandam profectus summam scientiam consecutus erat. Inde regressus, Cretam et Lacedaemōna[1]) ad cognoscendas Minōis et Lycurgi inclĭtas ea tempestate leges contenderat. Quibus omnibus instructus Crotōna[1]) venit populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad frugalitatem revocavit. Laudabat quotidie virtutem, et vitia[2]) luxuriae casumque civitatum ea peste perditarum enumerabat tantumque studium multitudinis ad frugalitatem provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur.

Matronarum quoque separatam a viris doctrinam et puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam et obsequia in viros, nunc illos modestiam et literarum studium. Inter haec[3]) velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque disputationum assiduitate erat, ut matrōnae auratas vestes ceteraque dignitatis suae ornamenta velut instrumenta luxuriae deponerent eaque omnia delata in Junonis aedem ipsi deae consecrarent. Pythagoras autem cum annos XX Crotone egisset, Metapontum emigravit ibique decessit; cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent eumque pro deo colerent.

1) griech. Accus., Gr. §. 42, 2. 2) vitia, die verderblichen Folgen. 3) inter haec, dabei.

# Historisches und Geographisches.

## I. Geschichte der Assyrier.

### 1. Ninus.

Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem et quasi avītum gentium morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis et totius orientis populos subegit. Postremum bellum illi fuit cum Zoroastre, rege Bactrianorum, qui primus dicitur artes magicas invenisse et

mundi principia [1]) siderumque motus diligentissime spectasse. Hoc occiso, et ipse [2]) decessit, relicto impubere filio Ninya et uxore Semiramĭde.

1) Urstoffe. 2) et ipse, auch er.

## 2. Semiramis.

Haec, neque immaturo filio ausa tradere imperium nec ipsa palam tractare, simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum. Nam et statura utrique mediŏcris et vox pariter gracilis et lineamentorum forma matri ac filio similis. Igitur crura calciamentis, caput tiāra tegit; et ne quid novo habitu occultare videretur, eodem ornatu et populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet. Sic puer esse credita est. Magnas deinde res gessit; quarum amplitudine ubi invidiam superatam putat, quae sit, fatetur, quemque [1]) simulaverit. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros anteiret.

Haec Babylonem condidit murumque urbi cocto latere circumdĕdit, harēnae vice [2]) bitumine interstrato, quae materia in illis locis passim invenitur et e terra exaestuat. Multa et alia praeclara hujus reginae fuere: nam Aethiopiam quoque imperio adjecit. Sed et Indis bellum intulit, quorum fines praeter illam et Alexandrum Magnum nemo intravit. Decessit vitā duo et XXX annos post Ninum regno potīta. Filius ejus Ninya contentus tradito a parentibus imperio belli studia deposuit et, veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus in feminarum turba consenuit. Posteri quoque ejus id exemplum secuti responsa gentibus per internuntios dabant. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentos annos tenuere.

1) = et quem. 2) vice, statt.

## 3. Sardanapallus.

Postremus apud eos regnavit Sardanapallus. Praefectus ipsius Medis praepositus, nomine Arbactus, invenit eum inter feminarum greges purpuras colo nentem et muliĕbri habitu pensa inter virgines partientem. Indignatus, tali feminae tantum virorum subjectum esse tractantesque ferrum et arma

habentes parēre, progressus ad socios, quid viderit, refert: negat, se ei parere posse, qui se feminam malit esse quam virum. Fit igitur conjuratio; bellum Sardanapallo infertur. Quò ille audito non ut vir regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres solent, primo latĕbras circumspicit, deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus in regiam se recepit, ubi exstructā incensāque pyrā et se et divitias suas in incendium mittit, hoc solo imitatus virum. Post hunc rex constituitur Arbactus, qui praefectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert, qui regnaverunt annos CCCL.

## II. Cyrus, Gründer des großen Perserreiches (im J. 558 vor Chr.)

### 1. Sieg des Cyrus über Crösus.

Ultimus rex Medorum, Astyăges, a nepote suo Cyro pulsus est regno. Sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio etiam conditionem suam mutatam arbitrantes a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro caussa et origo fuit. Domitis deinde plerisque cum adversus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Croesus, cujus opes divitiaeque insignes ea tempestate erant, auxilio venit; victusque in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam compositis in Babylonia rebus bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris proelii perculsum jam Croesi exercitum nullo negotio fundit; Croesus ipse capitur.

Sed quanto bellum minoris periculi, tanto mitior victoria fuit. Croeso et vita et patrimonii partes et urbs Barēne concessa sunt, in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiae degeret[1]). Haec clementia non minus victori quam victo utilis fuit: quippe ex universa Graecia, cum cognitum esset, illatum Croeso bellum esse, auxilia velut ad commune exstinguendum incendium confluebant: tantus Croesi amor apud omnes urbes erat; passurusque Cyrus grave bellum Graeciae fuit, si quid in Croesum crudelius consuluisset. Interjecto deinde tempore[2]), occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellavere; quibus iterum victis arma et equi adempti,

1) degeret, leben oder führen konnte. 2) interjecto tempore, nach Verlauf einiger Zeit.

jussique sunt ludĭcras artes exercere. Ac sic gens, industriā quondam potens et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque virtutem pristĭnam perdidit, et quos ante Cyrum invictos bella praestiterunt, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit.

## 2. Tod des Cyrus.

Cyrus, subacta Asia[1]) et universo oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore regina Scytharum Tamўris; quae non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, et sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata et hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus trajectis copiis, cum aliquantum in Scythiam processisset, castra metatus est. Dein postero die simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, ita vini affatim et ea, quae epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum nuntiatum reginae esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad castra Cyri esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad proelium venisset, barbaros vino se onerare patitur, priusque Scythae ebrietate quam bello vincuntur. Nam cognitis his Cyrus reversus per noctem ebrios opprimit omnesque Scythas cum reginae filio interficit.

Amisso tanto exercitu et unico filio Tamyris non orbitatis dolorem in lacrimas effudit, sed ulcisci studuit hostesque recenti victoria exsultantes pari insidiarum fraude circumvenit: quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis ducenta milia Persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet cum hac exprobratione crudelitatis: „Satia te, inquit, sanguine, quem sitisti cujusque insatiabilis semper fuisti.“ Cyrus regnavit annos XXX.

1) Asia = Asia minor, Kleinasien, wie oft.

### III. Sitten der Scythen.

Scythia in orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Riphaeis, a tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem et latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines: neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut tectum aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus et per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque caussa tectis[1]), pro domibus utuntur. Nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora et armenta habentibus quid inter silvas superesset, si furari liceret? Aurum et argentum non perinde ac[2]) reliqui mortales appĕtunt. Lacte et melle vescuntur. Lanae iis usus ac vestium ignotus, et quamquam continuis frigoribus uruntur, pellibus[3]) tamen ferīnis utuntur. Haec continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus: quippe ibīdem divitiarum cupīdo est, ubi et usus.

Imperium Asiae ter quaesivere: ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti mansere. Darīum, regem Persarum, turpi ab Scythia submoverunt fuga; Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt; Alexandri Magni ducem Zopyriona pari ratione cum copiis universis deleverunt; Romanorum audivere, non sensere arma. Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus et bellis aspera; vires corporum immensae; nihil parant, quod amittere timeant, nihil victores praeter gloriam concupiscunt.

1) tectis ist auf quibus zu beziehen. 2) ac, als, wie. 3) nur Felle.

## IV. Griechische Geschichte.

### 1. Älteste Geschichte Athens.

Athenienses origine gloriantur: quippe non advenae neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt, et quae illis sedes, eadem origo est. Primi lanificium et olei et vini usum docuere. Arare quoque ac serere frumenta glande vescentes docuerunt.

Literae, cerimoniae ac facundia et civilis disciplinae ordo veluti templum Athenas habent. Ante Deucaliōnis tempora regem habuere Cecrŏpem, quem, ut omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio junxit. Huic successit Cranaus, cujus filia Atthis nomen regioni dedit. Post hunc Amphictyon regnavit, qui primus Minervae urbem sacravit et nomen civitati Athenas dedit. Hujus temporibus aquarum alluvies majorem partem populorum Graeciae absumpsit. Superfuerunt, quos refugia montium[1]) receperunt, aut qui ad regem Thessaliae Deucalionem ratibus evecti sunt, a quo propterea genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio est Eleusīne a Triptolĕmo reperta. Tenuit et Aegeus, Thesei pater, Athenis regnum. Post Aegeum Theseus ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Graecis adversus Trojanos tulit, regnum possedit.

1) refugia montium, die Zufluchtsorte, welche die Berge gewährten, die Z. in den Bergen.

## 2. Codrus.

Erant inter Athenienses et Dorienses simultates veteres. Quare Dorienses cum bellum illis inferre vellent, de ejus eventu oracula consuluerunt. Responsum est, superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis praecipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui et responso dei et praeceptis hostium cognitis permutato regis habitu pannosus, sarmenta collo gerens castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium a milite, quem falce vulneraverat, interficitur. Cognito regis corpore Dorienses sine proelio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis pro salute patriae morti se offerentis bello liberantur.

## 3. Solon.

Post Codrum nemo Athenis regnavit, quod memoriae nominis ejus tributum est. Administratio reipublicae annua magistratibus[1]) permissa est. Sed civitati nullae tunc leges

1) sie hießen Archonten.

erant, quia libīdo regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon, vir justitiae insignis, qui[2]) velut novam civitatem legibus conderet: qui tanta moderatione inter plebem senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam iniret. Hujus viri inter multa egregia illud[3]) memorabile fuit. Inter Athenienses et Megarenses de Salamīne insula prope usque ad interitum armis dimicatum erat. Post multas clades capitale esse apud Athenienses coepit, si quis legem de vindicanda insula tulisset. Timens igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicae consuleret aut censendo[4]) offenderet sibi, subitam dementiam simulat. Deformis habitu more vecordium in publicum evŏlat factoque concursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo coepit, quod vetabatur, omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus Atheniensium[5]) fieret.

2) = ut is, damit er. 3) Folgendes. 4) censendo, durch das Aussprechen seiner Meinung. 5) über den Gen. Gramm. §. 205.

## 4. Pisistratus.

Megarenses, ne frustra arma movisse viderentur, matrōnas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri[1]) naves conscendunt. Qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat, jussis matrōnis solito clamore ac strepitu etiam in accessu hostium, ne animadversos se sentiant, sacra celebrare: egressosque navibus Megarenses inopinantes aggressus delevit ac protĭnus classe captiva, intermixtis mulieribus, Megăra contendit. Illi cum et navium formam et petitam praedam cognoscerent, obvii ad portum procedunt; quibus caesis paulum afuit, quin[2]) Pisistratus urbem caperet. Ita Dōrienses suis dolis hosti victoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi sibi, non patriae vicisset, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus in publicum progreditur, advocata contione vulnera populo ostendit, de crudelitate principum, e quibus haec se passum simulabat, queritur; adduntur vocibus lacrimae et invidiosa

1) oppressuri, um zu überfallen. 2) paulum abest quin, es fehlt wenig daß.

oratione multitudo credula accenditur: amore plebis invisum se senatui simulat: obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium, per quos occupata tyrannide per annos XXXIII regnavit.

### 5. Xerxes rüstet sich zum Feldzug gegen Griechenland.

Xerxes bellum a patre coeptum adversus Graeciam quinquennium instruxit. Quod ubi primum didicit Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui apud Xerxen exsulabat, amicior patriae post fugam quam regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus perscribit easdemque cera superinducit, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret aut recens cera dolum proderet: fido deinde servo perferendas tradit magistratibus Spartiatarum. Quibus perlatis Lacedaemone quaestioni res diu fuit, quod neque scriptum quid viderent nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem majorem, quanto esset occultior, putabant. Haerentibus in conjectura viris soror regis Leonidae consilium scribentis invenit. Erasa igitur cera belli consilia deteguntur.

Jam Xerxes septingenta milia de regno armaverat et trecenta milia de auxiliis, ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata Graeciamque omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Huic tanto agmini dux defuit. Si regem spectes, divitias, non ducem laudes: quarum tanta copia in regno ejus fuit, ut, cum[1]) flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiae superessent. Ipse autem primus in fuga, postremus in proelio semper visus est; in periculis timidus; sicubi[2]) metus abesset, inflatus.

1) cum, obgleich. 2) wenn irgendwo.

### 6. Leonidas. Thermopylä.

Cujus introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac foedus discessus fuit. Namque cum Leonidas, rex Spartiatarum, cum IIII milibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes contemptu[1]) paucitatis eos pugnam capessere jubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti erant: qui dum ulcisci suos student, principium cladis fuere; succedente dein inutili turba major caedes editur. Triduo ibi cum[2])

1) Abl. des Grundes. 2) Gr. §. 229, 2.

dolore et indignatione Persarum dimicatum: quarto die cum nuntiatum esset Leonidae, a XX milibus hostium summum cacumen teneri, tum hortatur socios, ut recedant et se ad meliora patriae tempora reservent: sibi cum Spartiatis fortunam experiendam: plus patriae quam vitae debere: ceteros ad praesidium Graeciae servandos. Audito regis imperio discessere ceteri, soli Lacedaemonii remanserunt. Initio hujus belli sciscitantibus Delphica oracula responsum erat, aut regi Spartiatarum aut urbi cadendum. Et idcirco rex Leonidas, cum in bellum proficisceretur, ita suos confirmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloria vinceret aut minore damno reipublicae caderet.

Dimissis igitur sociis hortatur Spartiatas, ut meminerint sibi cadendum esse; caveant, ne fortius mansisse quam dimicasse videantur: nec exspectandum, dum ab hoste circumvenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis et laetis superveniendum: nusquam victores honestius quam in castris hostium perituros. Nihil[3]) erat difficile iis persuadere: statim arma capiunt et sexcenti viri castra quingentorum milium irrumpunt statimque praetorium petunt, aut cum illo aut, si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartiatae, postquam regem non inveniunt, per omnia castra victores vagantur; caedunt sternuntque omnia, ut qui sciunt se pugnare non spe victoriae, sed in mortis ultionem. Proelium a principio noctis in majorem partem diei tractum est. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus terrestri proelio acceptis experiri maris fortunam[4]) statuit.

3) nihil, durchaus nicht. 4) das Glück auf dem Meere oder zu Wasser.

### 7. Themistocles. Schlacht bei Salamis.

Sed Atheniensium dux Themistocles cum animadvertisset, Ionas, propter quos bellum Persarum susceperunt, auxilio regi classe venisse, sollicitare eos in partes suas statuit, et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbŏlos proponi et saxis proscribi jubet: „Quae vos, Iones,

dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus cogitatis? Quin vos in haec castra transitis? aut si hoc parum tutum est, at vos a proelio discedite." Ante navale proelium miserat Xerxes IIII milia militum armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum, prorsus quasi non cum Graecis tantum, sed et[1]) cum dis immortalibus bellum gereret: quae[2]) manus tota imbribus et fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullae[3]) essent hominum adversum deos vires.

Post haec Thespias et Plataeas et Athenas vacuas hominibus incendit, et quoniam ferro in homines non poterat[4]), in aedificia igne grassatur. Namque Athenienses post pugnam Marathoniam praemonente Themistocle, victoriam illam de Persis non finem, sed caussam majoris belli fore, CC naves aedificaverunt. Adventante Xerxe consulentibus Delphicum oraculum responsum erat, ut salutem muris ligneis tuerentur. Itaque Themistocles persuadet omnibus, patriam cives esse, non moenia, civitatemque non in aedificiis, sed in civibus esse positam: melius itaque salutem navibus quam urbi commissuros: hujus sententiae etiam deum auctorem esse. Probato consilio conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus insulis, relicta urbe, demandant; ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Atheniensium et aliae urbes imitatae sunt.

Itaque cum omnis sociorum classis intenta in bellum navale esset angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri a multitudine posset, occupasset, dissensio inter civitatum principes oritur: qui cum deserto bello ad sua tuenda dilabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi nuntiat, uno in loco eum contractam Graeciam capere facillime posse. Quodsi[5]) civitates, quae jam abire vellent, dissiparentur, majore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem, ut signum pugnae daret. Graeci quoque adventu hostium occupati proelium collatis viribus[6]) capessunt. Interea rex velut spectator pugnae cum parte navium in litore remănet. Artemisia

1) et, sogar. 2) quae, aber diese, s. S. 42 Nr. 5 A. 2. 3) nullus, nichtig. 4) näml. grassari. 5) quodsi, wenn aber. 6) collatis viribus, mit vereinten Kräften.

autem, regina Halicarnassi, quae auxilio Xerxi venerat, inter primos duces proelium acerrime ciebat. Id cum anceps esset, Iones pugnae se paulatim subtrahere coeperunt: quorum defectio animos ceterorum fregit. Itaque pelluntur[7]) Persae et mox proelio victi in fugam vertuntur. In qua trepidatione multae captae naves, multae mersae; plures tamen domum dilabuntur.

7) pellere, zum Weichen bringen.

### 8. Flucht des Xerxes.

Hac clade perculsum et dubium consilii[1]) Xerxem Mardonius aggreditur[2]). Hortatur, ut in regnum abeat, ne quid seditionis moveat fama adversi belli; sibi CCC milia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat, qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum se Graeciam aut, si aliter[3]) eventus fuerit, sine ejus infamia[4]) hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse deducere in regnum parat. Sed Graeci audita regis fuga consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abȳdi fecerat, ut interclusus reditu aut cum exercitu deleretur aut desperatione rerum[5]) pacem petere cogeretur. Sed Themistocles timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, eundem servum ad Xerxem mittit certioremque consilii facit et occupare transitum maturatā fugā jubet. Ille perculsus nuntio tradit ducibus milites; ipse cum paucis Abydum contendit. Ubi cum solutum pontem hibernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit.

1) dubius consilii, schwankend in seinem Entschlusse. 2) aggredi aliquem, sich an J. wenden. 3) Gr. §. 151 A. 2. 4) ohne Schande für ihn. 5) aus Verzweiflung.

### 9. Mardonius. Platää und Mycale.

Interim Mardonius Athenienses in spem pacis amicitiamque regis sollicitat. Postquam nullo pretio libertatem his venalem videt, incensis[1]) quae aedificare coeperant, copias in Boeotiam transfert. Eo et Graecorum exercitus, qui centum milium fuit, secutus est ibique proelium commissum[2]). Sed fortuna regis cum duce mutata non est. Nam victus

1) ergänze iis. 2) bei Platää 479.

Mardonius veluti ex naufragio cum paucis profugit. Castra plena regalis opulentiae capta sunt. Unde [3]) primum Graecos diviso inter se auro Persico divitiarum luxuriă [4]) cepit. Eodem forte [5]) die, quo Mardonii copiae deletae sunt, etiam navali proelio in Asia sub monte Mycale adversus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex adverso [6]) starent, fama ad utrumque exercitum venit, vicisse Graecos et Mardonii copias occidione cecīdisse. Tanta famae velocitas fuit, ut, cum matutino tempore proelium in Boeotia commissum esset, meridianis horis in Asiam per tot maria et tantum spatium de victoria nuntiaretur. Confecto bello, cum de praemiis civitatum ageretur, omnium judicio Atheniensium virtus ceteris praelata est. Inter duces quoque Themistocles princeps civitatum testimonio judicatus gloriam patriae suae auxit.

3) von da. 4) luxuria divitiarum, die aus Reichthum hervorgehende Üppigkeit. 5) Gr. §. 48. 6) gegenüber.

## 10. Lycurg.

Lycurgus Spartiătis leges instituit, non inventione earum quam exemplo clarior; nam nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documentum daret. Populum in obsequium principum [1]), principes ad justitiam imperiorum firmavit. Parsimoniam omnibus suasit, existimans laborem militiae assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. Auri argentique usum ut [2]) omnium scelerum materiam sustulit. Administrationem reipublicae per ordines [3]) divisit: regibus potestatem bellorum, magistratibus [4]) judicia, senatui custodiam legum, populo sublegendi senatum vel creandi quos vellet magistratus potestatem permisit. Fundos omnium aequaliter inter omnes divisit, ut aequata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Convivari omnes publice jussit, ne cujus divitiae vel luxuria in occulto essent. Juvenibus non amplius quam una veste uti toto anno permissum est. Pueros pubĕres non in forum, sed in agrum deduci jussit,

1) objectiver Gen., gegen die Vornehmen. 2) ut, als. 3) per ordines, nach den Ständen. 4) Die Ephoren sind gemeint.

ut primos annos non in luxuria, sed in opere et in laboribus agerent.

Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur, non pecuniae, severiusque uxores suas viri coërcerent. Maximum honorem non divitum et potentium, sed pro gradu aetatis senum esse voluit, nec sane usquam terrarum[5]) locum honoratiorem senectus habet. Haec quoniam primo solutis antea moribus dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit. Dein ut aeternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de suis legibus mutaturos, priusquam reverteretur, et simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum[6]), quid addendum legibus mutandumque videretur. Proficiscitur autem Cretam ibique perpetuum exsilium egit abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne, si relata essent Lacedaemonem, solutos se Spartiatae religione jurisjurandi arbitrarentur.

5) über den Gen. Gr. §. 197 A. 6. 6) um zu fragen.

## 11. Pericles.

Athenienses adversus Lacedaemonios duos duces deligunt, Periclen, spectatae virtutis virum, et Sophoclen, scriptorem tragoediarum: qui diviso exercitu et Spartiatarum agros vastaverunt et multas Asiae civitates Atheniensium imperio adjecerunt. His malis fracti Lacedaemonii in[1]) annos XXX pepigerunt pacem, sed tam longum otium inimicitiae[2]) non tulerunt. Itaque intra XV annos rupto foedere cum contemptu deorum hominumque fines Atticos populantur, et ne praedam potius quam pugnam expetisse viderentur, hostes ad proelium provocant. Sed Athenienses consilio Periclis ducis populationis injuriam differunt in tempus ultionis, supervacuam pugnam existimantes, cum ulcisci hostem sine periculo possent. Dein interjectis diebus[3]) naves conscendunt et nihil sentientibus Lacedaemoniis totam Spartam diripiunt multoque plura auferunt quam amiserant, prorsus ut in comparatione damnorum multo pluris esset ultio quam injuria. Clara quidem haec Periclis expeditio habita, sed multo clarior privati patrimonii contemptus fuit. Hujus agros in populatione ce-

1) Gr. §. 230, a, 2. 2) Gr. §. 51, 1. 3) s. vorher II, 1 Anm. 2.

terorum intactos hostes reliquerant, sperantes acquirere se illi posse aut periculum ex invidia aut ex suspicione proditionis infamiam. Quod ante prospiciens Pericles et futurum esse populo praedixerat et ad invidiam declinandam agros ipsos dono reipublicae dederat, atque ita, unde periculum quaesitum erat, ibi maximam gloriam invenit.

### 12. Tod des Epaminondas.

Cum Epaminonda Thebano vires quoque reipublicae ceciderunt. Nam sicuti, si telo primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo, velut mucrone teli, ablato duce Thebanorum rei quoque publicae vires hebetatae sunt, ut non tam illum amisisse quam cum illo interisse omnes viderentur. Nam neque ante hunc ducem ullum memorabile bellum gessere, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: ut manifestum sit, patriae gloriam et natam et exstinctam esse cum eo. Fuit autem incertum, vir melior an dux esset. Nam et imperium non sibi, sed patriae quaesivit, et pecuniae adeo non[1] cupidus fuit, ut sumptus funeri deesset. Gloriae quoque non cupidior fuit quam pecuniae; honores ita gessit, ut ornatum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam[2] literarum studium, jam philosophiae doctrina fuit tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiae scientia esset homini inter literas nato. Neque ab hoc vitae genere mortis ratio dissensit. Nam ut relatus in castra semianimis vocem spiritumque collegit, id unum a circumstantibus quaesivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. Quod ut servatum audivit allatumque velut laborum gloriaeque socium osculatus est, iterum quaesivit, utri vicissent. Ut audivit Thebanos, bene habere se rem dixit atque ita velut gratulabundus patriae exspiravit.

1) adeo non, so wenig. 2) jam, ferner.

## V. Sicilien.

Siciliam ferunt[1]) angustis quondam faucibus Italiae adhaesisse diremptamque velut a corpore majore[2]) impetu superi maris[3]), quod toto undarum onere illuc fertur. Est autem

1) ferunt, man sagt. 2) majore gehört zu corpore. 3) s. Gr. §. 248, 1.

ipsa terra tenuis ac fragilis et cavernis[4]) quibusdam fistulisque ita penetrabilis, ut ventorum tota ferme flatibus pateat: et ignibus generandis nutriendisque est[5]) soli ipsius naturalis materia: quippe intrinsĕcus stratum esse sulphŭre et bitumine traditur[6]): quae res facit, ut, spiritu cum igne inter[7]) interiora luctante, frequenter et compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Et ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, harenarum moles egeruntur. Proximum Italiae promuntorium Rhegium dicitur, ideo quia Graece „abrupta" hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum, si fabulosa est loci hujus antiquitas[8]), in quem res tot coiere mirae: primum quod nusquam est latius torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saevo, neque navigantibus modo terribile, verum etiam procul visentibus.

Undarum porro inter se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas: nunc hic fremitum ferventis aestus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Accedunt vicini et perpetui Aetnae montis ignes et insularum Aeolĭdum, veluti ipsis in undis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulae Scyllam et Charybdin peperere. Eadem caussa etiam Aetnae montis perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit atque ibi suffocatum tam diu tenet, donec per spiramenta terrae diffusus nutrimenta ignis incendat. Jam ipsa Italiae Siciliaeque vicinitas, jam promuntoriorum altitudo ipsa ita similis est, ut antiquis terrorem injecerit, credentibus, coëuntibus in se promuntoriis ac rursum discedentibus solida intercipi absumique navigia.

Siciliae primo Trinacriae nomen fuit; postea Sicania nominata est. Haec a principio patria Cyclōpum fuit, quibus exstinctis Cocălus regnum insulae occupavit. Post quem singulae civitates in tyrannorum imperium concesse-

4) Abl. des Grundes. 5) est, ist im Stande, Gr. §. 241, 1. 6) näml. solum (der Boden). 7) inter, in. 8) antiquitas loci, die Nachrichten der Alten von dem Orte.

runt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilāus justitia cum ceterorum crudelitate certabat, cujus moderationis haud mediocrem fructum tulit: quippe decedens cum filios parvulos reliquisset tutelamque eorum Micўtho, spectatae fidei servo, commisisset, tantus amor memoriae ejus apud omnes fuit, ut parere servo quam deserere regis filios mallent, principesque civitatis, oblīti dignitatis suae, regni majestatem administrari per servum paterentur. Imperium Siciliae etiam Carthaginienses temptavere, diŭque varia victoria cum tyrannis dimicatum est. Ad postremum amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quievere victi.

## VI. Die Stadt Cyrene.

Cyrēne condita est ab Aristaeo, cui nomen Batto propter linguae obligationem fuit. Hujus pater Cirnus, rex Therae insulae, cum ad oraculum Delphos propter adolescentem filium nondum loquentem venisset, responsum accepit, quo jubebatur filius ejus Battus Africam petere et urbem Cyrenen condere: usum ibi linguae accepturum[1]. Cum responsum ludibrio simile videretur propter solitudinem Therae insulae, ex qua coloni ad urbem condendam in Africam proficisci jubebantur, res omissa est. Interjecto deinde tempore pestilentiā deo parere coguntur, qui tam pauci fuerunt, ut vix unam navem complerent. Cum venissent in Africam, pulsis accŏlis montem Cyran et propter amoenitatem loci et propter fontis ubertatem occupavere.

Ibi Battus, dux eorum, linguae nodis solutis loqui primum coepit, quae res animos eorum, ex promissis dei jam parte percepta, in reliquam spem condendae urbis accendit. Positis igitur castris famam veteris fabulae accipiunt, Cyrenen, eximiae pulchritudinis virginem, a Thessaliae monte Pelio ab Apolline raptam perlatamque in ejusdem montis juga, cujus collem occupaverant, quattuor pueros peperisse, Nomium, Aristaeum, Autŭchum, Agreum; missos a patre Hypsēo, rege Thessaliae, qui perquirerent virginem, loci amoenitate captos in iisdem terris cum virgine consedisse; ex his pueris tres adultos in Thessaliam reversos avīta regna cepisse: Aristaeum

1) Ausgelassen ist esse und der Subjectsaccusativ eum.

in Arcadia late regnasse, eumque primum et apium et mellis usum et lactis ad coagula[2]) hominibus tradidisse. Quibus auditis Battus virginis nomine urbem Cyrenen condidit.

2) zum Lab, d. i. zum Käsemachen.

## VII. Die Stadt Heraclea am Pontus.

Heraclēae urbis initia admirabilia fuere. Quippe Boeotiis pestilentia laborantibus oraculum Delphicum responderat, ut coloniam in Ponti regione sacram Herculi conderent. Cum propter metum longae ac periculosae navigationis mortem in patria omnibus praeoptantibus res omissa esset, bellum iis Phocenses intulerunt: quorum cum adversa proelia paterentur, iterum ad oraculum decurrunt: responsum est, idem belli quod pestilentiae remedium fore. Igitur conscripta colonorum manu in Pontum delati urbem Heracleam condiderunt, et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, brevi tempore magnas opes paravere. Multa deinde hujus urbis adversus finitimos bella, multa etiam domesticae dissensionis mala fuere. Inter cetera magnifica praecipue illud memorabile fuit.

Cum rerum potirentur Athenienses victisque Persis Graeciae et Asiae tributum ad tuendam classem descripsissent, Heracleenses ob amicitiam regum Persicorum collationem abnuerant. Missus est itaque ab Atheniensibus Lamăchus cum exercitu ad extorquendum, quod negabatur. Is dum relictis in litore navibus agros Heracleensium populatur, classem naufragio amisit. Itaque cum neque mari posset amissis navibus, neque terrā auderet cum parva manu inter tot ferocissimas gentes reverti, Heracleenses instructos commeatibus auxiliisque dimittunt.

## VIII. Das delphische Orakel.

Templum Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso, in rupe impendente: ibi civitatem frequentia hominum fecit, qui ad[1]) affirmationem majestatis undique concurrentes in eo saxo consedere. Atque ita templum et civitatem non muri, sed praecipitia, nec manu facta, sed naturalia prae-

1) Gr. §. 176, 6.

sidia defendunt, prorsus ut incertum sit, utrum munimentum loci an majestas dei plus hic admirationis habeat[2]). Media rupes in formam theatri recessit[3]). Quamobrem et hominum clamor et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et resonantibus inter se rupibus, multiplex audiri ampliorque, quam editur, resonare solet. Quae res majorem majestatis terrorem ignaris rei et admirationem plerumque affert. In hoc rupis anfractu media ferme montis altitudine planities exigua est, atque in ea profundum terrae foramen, quod in[4]) oracula patet: ex quo frigidus spiritus vi quadam in sublime expulsus mentes vatum in vecordiam vertit impletasque deo responsa consulentibus dare cogit. Multa igitur ibi et opulenta regum ac populorum visuntur munera.

2) habere, erregen. 3) war nach der Form eines Theaters eingebogen. 4) in von der Absicht, zu.

## IX. Die älteste Geschichte Roms.

Italiae cultores primi Aborigines fuere, quorum rex Saturnus tantae justitiae fuisse dicitur, ut neque serviret quisquam sub illo neque quicquam privatae rei haberet, sed omnia communia et indivisa omnibus essent, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exaequato omnium jure in conviviis servi cum dominis recumberent. Itaque Italia regis nomine Saturnia appellata est, et mons, in quo habitabat, Saturnius, in quo nunc, veluti ab Jove pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunus fertur, sub quo Euander ab Arcadiae urbe Pallantēo in Italiam cum parva turba popularium venit, cui Faunus et agros et montem, quem ille postea Palatium appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus templum Lycaeo, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur.

Ex filia Fauni et Hercule, qui eodem tempore exstincto Geryŏne armenta, victoriae praemia, per Italiam ducebat, Latinus procreatur. Quo tenente regnum Aeneas ab Ilio[1]),

1) Ilion oder Ilium hier die Landschaft (Troas).

Troja a Graecis expugnata, in Italiam venit, statimque bello exceptus cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus tantam admirationem sui Latino praebuit, ut et in societatem regni reciperetur et, Lavinia in matrimonium ei data, gener adscisceretur. Post haec commune utriusque fuit bellum adversus Turnum, regem Rutulorum, in quo et Turnus et Latinus interiere. Igitur cum Aeneas jure victoriae utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit. Bellum deinde adversus Mezentium, Etruscorum regem, gessit: in quo cum ipse occidisset, in locum ejus Ascanius filius successit, qui Lavinio relicto Longam Albam condidit, quae CCC annis caput regni fuit.

Post multos deinde hujus urbis reges ad postremum Numitor et Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cum vi aetate potiorem Numitorem oppressisset, filiam ejus Ream Vestalem legit[2]). Sed ea duos pueros peperit. Quo cognito Amulius pueros exponi jubet et puellam vinculis onerat. Sed Fortuna origini Romanae prospiciens pueros lupae alendos[3]) obtulit, quae amissis catulis distenta ubera exinanire cupiens nutricem se infantibus praebuit. Cum saepius ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, rem Faustulus pastor animadvertit subtractosque ferae inter greges pecorum agresti vita nutrivit. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere. Adultis inter pastores de virtute quotidiana certamina et vires et pernicitatem auxere. Igitur cum latrones[4]) a rapina pecorum industrie frequenterque submoverent, Remus ab iisdem latronibus captus regi offertur: crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc a rege Numitori in ultionem traditur. Cum eum nunc lineamentorum filiae similitudo, nunc aetas expositionis temporibus congruens anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo supervenit: a quo origine cognita puerorum, fit conspiratio, et adolescentes ad ulciscendam maternam necem et Numitor ad vindicandum ereptum regnum armantur.

Occiso Amulio regnum Numitori restituitur, et urbs Romana[5]) ab adolescentibus conditur. Tunc et senatus centum

2) machte sie zur Vestalinn. 3) als zu ernährende d. i. zum Ernähren. 4) Accus. 5) = urbs Roma.

seniorum, qui patres dicti sunt, constituitur: tunc et vicinis conubia pastorum dedignantibus virgines Sabinae rapiuntur, finitimisque populis armis subjectis primum Italiae et mox orbis imperium quaesitum est.

## X. Massilia.

1. Temporibus Tarquinii Prisci regis ex Asia Phocaeensium juventus ostio Tiberis invecta amicitiam cum Romanis junxit: inde in ultimos Galliae sinus navibus profecta Massiliam inter Ligures et feras gentes Gallorum condidit. Namque Phocaeenses piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriae tribuebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis devenere; cujus loci amoenitate capti, reversi domum referentes, quae viderant, plures sollicitavere.

Duces classis Simos et Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiae erat, quam more gentis electo inter epulas genero nuptum[1]) tradere parabat. Itaque cum ad nuptias invitati omnes proceres essent, vocantur etiam Graeci hospites ad convivium. Introducta deinde virgo cum juberetur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc ad Graecos conversa aquam Proti porrigit, qui factus ex hospite gener locum condendae urbis a socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis in remoto sinu, velut in angulo maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes Graecos assiduis bellis fatigabant, qui periculo propulsando tantopere enituerunt, ut victis hostibus in captivis agris multas colonias constituerent.

Ab his igitur Galli et usum vitae cultioris et agrorum cultus et urbes moenibus cingere didicerunt. Tunc et legibus, non armis[2]) vivere, tunc et vitem putare, tunc olivam serere consuerunt, adeoque magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur.

1) Gr. §. 244 A. 1. 2) armis, nach dem Faustrechte.

2. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus acceptus condendae urbis erat, cum in regno filius ejus Comanus successisset, affirmat quidam regulus, quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret. Subnectit et illam fabulam: canem aliquando gravidam locum a pastore petisse, in quo pareret: quo obtento, iterum petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis fultam domestico praesidio locum sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, dominos quandoque regionum futuros. His incitatus rex insidias Massiliensibus struit. Itaque sollemni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospitii jure[1]) in urbem misit, plures scirpeis latentes frondibusque supertectos induci vehiculis jubet, ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit, ut, cum nocte ab illis apertae portae forent, tempestive ad insidias adesset urbemque somno ac vino sepultam invaderet. Sed has insidias mulier quaedam regis cognata aperuit periculumque declinari jubet. Atque ita patefactis insidiis cuncti Ligures comprehenduntur latentesque de scirpeis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis insidianti regi insidiae tenduntur. Caesa sunt cum ipso rege hostium septem milia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudunt, vigilias agunt, peregrinos recognoscunt, ac veluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodiunt.

1) jure, nach dem Rechte.

3. Post haec magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella. Carthaginiensium quoque exercitus, cum bellum captis piscatorum navibus ortum esset, saepe fuderunt pacemque victis dederunt; cum Hispanis amicitiam junxerunt, cum Romanis prope ab initio conditae urbis foedus summa fide custodierunt auxiliisque in omnibus bellis industrie socios juverunt. Quae res illis et virium fiduciam auxit et pacem ab hostibus praestitit. Cum igitur Massilia et fama rerum gestarum et abundantia opum et virium gloria floreret, repente finitimi populi ad nomen Massiliensium delendum veluti ad commune exstinguendum incendium concurrunt. Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur: qui cum magno

exercitu lectissimorum virorum urbem hostium obsideret, per quietem specie torvae mulieris, quae se deam dicebat, exterritus ultro pacem cum Massiliensibus fecit, et cum in arcem Minervae venisset, conspecto in porticibus simulacro deae, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam esse, quae se nocte exterruisset, illam, quae recedere ab obsidione jussisset. Torque aureo donata dea, in perpetuum amicitiam cum Massiliensibus junxit.

Parta pace et securitate fundata revertentes a Delphis Massiliensium legati, quo missi munera Apollini tulerant, audiverant urbem Romanam a Gallis captam incensamque. Quam rem domi nuntiatam publico funere Massilienses prosecuti sunt[1]) aurumque et argentum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemptam pacem cognoverant. Ob quod meritum et immunitas illis decreta et locus[2]) spectaculórum in senatu datus et foedus aequo jure percussum.

1) sie begleiteten dies mit öffentlicher Trauerfeierlichkeit, d. i. sie gaben ihre Theilnahme daran durch öffentliche Trauer zu erkennen. 2) ein Platz in den Schauspielen unter den Senatoren.

## XI. Spanien.

1. Hispaniam veteres ab Ibēro amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam nominaverunt. Haec inter Africam et Galliam posita Oceano et Pyrenaeis montibus clauditur. Sicut minor utrāque terrā, ita utrāque fertilior. Nam neque ut Africa violento sole torretur, neque ut Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter utramque hinc temperato calore[1]), inde felicibus et tempestivis imbribus omnium frugum fecunda est: adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romanae cunctarum rerum abundantiā sufficiat. Non enim frumenti tantum magna copia est, verum et vini, mellis oleique; nec summae[2]) tantum terrae laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum felices divitiae. Jam lini spartique vis ingens; minii certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidique, ut noceant, sed lenes et vineas camposque irrigantes, in aestuariis quoque Oceani affatim piscosi, plerique etiam divites auro, quod in balucibus

1) Abl. d. Grundes. 2) summa terra, die Erdoberfläche.

vehunt. Uno tantum Pyrenaei montis dorso adhaeret Galliae, reliquis partibus undique in orbem mari cingitur. Forma terrae prope quadrata est. Salubritas coeli per omnem Hispaniam aequalis, quia aëris spiritus nulla paludum gravi nebula inficitur. Huc accedunt marinae aurae undique assidui flatus, quibus eventilatur terrestris spiritus.

2. Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mortem parati. Dura omnibus et adstricta parsimonia. Bellum quam otium malunt: si extraneus deest, domi hostem quaerunt. Saepe in tormentis pro silentio[1]) rerum creditarum moriuntur: adeo illis fortior taciturnitatis cura quam vitae. Celebratur etiam bello Punico servi illius patientia, qui ultus dominum inter tormenta risu exsultavit serenaque laetitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix, inquietus animus: plurimis militares equi et arma sanguine ipsorum cariora. Nullus in festos dies epularum apparatus. Aqua calida lavari post secundum Punicum bellum a Romanis didicere.

1) silentium, das Verschweigen.

3. In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus praeter Viriathum fuit, qui annos decem Romanos varia victoria fatigavit. Cujus ea virtus continentiaque fuit, ut, cum consulares exercitus frequenter vicisset, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum[1]), non denique victum mutaret, sed in eo habitu, quo primum bellare coepit, perseveraret, ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

1) cultus, die Beschaffenheit.

4. In Gallaecia ac Lusitania equi magni et pernices visuntur. Gallaeci autem Graecam sibi originem vindicant: nam post finem Trojani belli Teucrum morte[1]) Ajācis fratris invisum patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse atque ibi urbem nomine antiquae patriae Salamina condidisse; inde accepta fama paternae mortis patriam repetisse, sed cum ab Eurysăce, Ajacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniae litoribus appulsum loca, ubi nunc est Carthago Nova, occupasse; inde in Gallaeciam transisse et positis sedibus genti nomen dedisse. Gallaeciae autem portio

1) Abl. des Grundes.

Amphilŏchi dicuntur. Regio cum aeris ac plumbi fecundissima, tum et minii, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima: adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas excidant. In hujus gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra proscissa est, detectum aurum velut dei munus colligere permittitur. Feminae res domesticas agrorumque culturas administrant, ipsi armis et rapinis serviunt.

5. Saltus Tartesiorum, in quibus Titāni bellum adversus deos gessisse dicuntur, incoluere Cunetes, quorum rex vetustissimus Gargoris mellis colligendi usum primus invenit. Hujus nepos Habis et barbarum populum legibus vinxit et boves primus aratro domare frumentaque sulco quaerere docuit. Ab hoc et ministeria servilia populo interdicta et plebs in septem urbes divisa. Mortuo Habide regnum per multa secula ab successoribus ejus retentum est.

In alia parte Hispaniae, quae ex insulis constat, regnum penes Gerўŏnem fuit. In hac tanta pabuli laetitia est, ut, nisi abstinentiā interpellata sagīna fuerit, pecora rumpantur. Quare armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tantae famae fuere, ut Herculem ex Asia praedae magnitudine illicerent. Porro Geryonem ipsum non triplicis naturae, ut fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tantae concordiae fuisse, ut uno animo omnes regi viderentur, nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

## XII. Cato der Ältere.

(234—149 v. Chr.)

M. Porcius Cato, ortus Tuscŭlo, adolescentŭlus versatus est in Sabīnis [1]). Inde Romam demigravit in foroque esse [2]) coepit. Primum stipendium meruit annorum decem et septem. Q. Fabio M. Claudio consulibus [3]) tribūnus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est [4]) Claudii Nerōnis, magnique opera ejus aestimata est in proelio apud Senam [5]),

1) in Sabinis, das Volk statt des Landes, s. Gr. §. 158. 2) in foro esse, das Forum besuchen; dort wurden Gerichtsverhandlungen gehalten. 3) unter dem Consulate des Q. Fabius und M. Claudius, 214 vor Chr. 4) castra sequi, sich dem Heere anschließen. 5) apud Senam, 207 vor Chr.

quo cecĭdit Hasdrŭbal, frater Hannibălis. Quaestor obtigit[6]) P. Africano consuli. Aedilis plebis factus est cum G. Helvio. Praetor[7]) provinciam obtinuit Sardiniam. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco; sorte[8]) provinciam nactus est Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit[9]). Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cujus in priore consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere, neque[10]) hoc per senatum efficere potuit. Qua[11]) ex re iratus senatui, consulatu peracto, privatus in urbe mansit.

At Cato, censor cum eodem Flacco factus, sevēre praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit[12]) et multas res novas in edictum addidit, quare[13]) luxuria reprimeretur. Usque ad extremam aetatem ab adolescentia reipublicae caussa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus[14]) non modo nullum detrimentum[15]) existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude[16]) crevit. In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus jurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit, quas Origines appellavit.

6) obtigit, fiel zu; die Quästoren loosten nämlich, mit welchem Consul oder Proconsul sie in die Provinz gehen sollten. 7) praetor, als Prätor. 8) sorte, durchs Loos; auch die Consuln loosten um ihre Provinzen. 9) deportavit, brachte heim. 10) neque, aber nicht. 11) qua ex re, deßhalb. 12) animadvertere, strafend einschreiten. 13) quare, damit dadurch. 14) tentatus, angefochten. 15) detrimentum facere, Schaden, Verlust erleiden. 16) laude, an Ruhm.

# Alphabetisches Wörterverzeichniß.

## A.

A. = Aulus.
abdūco, duxi, ductum, 3, führe weg, nehme mit mir.
abeo, ii, ĭtum, ire, gehe weg, ziehe ab, entschwinde.
abhinc, vor, s. Gr. §. 164.
abhorreo, horrui, 2, weiche ab, bin verschieden.
abies, ĕtis, *f*, die Tanne.
abĭgo, ēgi, actum, 3, treibe weg, jage fort.
abjĭcio, jēci, jectum, 3, werfe weg, werfe hin.
abluo, 3, wasche ab, wasche weg.
abnuo, nui, 3, weise von mir.
Aborigĭnes, um, die Aboriginer, das Stammvolk der Römer (eig. die Ureinwohner).
abruptus, a, um, abgerissen, schroff.
abscēdo, cessi, cessum, 3, gehe weg, verschwinde.
absens, tis, abwesend, in der Abwesenheit.
absisto, stĭti, stĭtum, 3, stehe ab.
absolvo, solvi, solūtum, 3, spreche los, spreche frei.
abstinentia, ae, die Enthaltsamkeit, Beschränkung des Genusses (von Speise und Trank).
abstĭneo, tinui, tentum, 2, enthalte mich einer Sache (re).
abstrăho, traxi, tractum, 3, ziehe weg.
abstrūsus, a, um, verborgen.
absum, afui, abesse, bin abwesend, bin entfernt, bin ferne, fehle.
absūmo, sumpsi, sumptum, 3, vernichte, raffe hinweg.
abundantia, ae, der Überfluß.
Abȳdus, i, eine Stadt in Kleinasien.
ac, Conjunction, und.
Academīa, ae, die Academie, ein Gymnasium (Übungsplatz) bei Athen.
accēdo, cessi, cessum, 3, nähere mich, begebe mich, trete hinzu, rücke an, komme dazu.
accendo, cendi, censum, 3, feuere an, entflamme.
accensus, i, der Amtsdiener.
accerso, īvi, ītum, 3, rufe herbei.
accessus, us, das Anrücken, der Zutritt.
accĭdo, cĭdi, 3, ereigne mich.
accio, īvi, ītum, 4, rufe herbei.
accĭpio, cēpi, ceptum, 3, empfange, bekomme, erhalte, vernehme, erleide, nehme an, — omen nehme die Vorbedeutung an, beziehe sie auf mich.

acclāmo, 1, rufe laut zu.
accŏla, ae, der Anwohner.
accommŏdo, 1, passe an, richte ein.
accurātus, a, um, sorgfältig.
accurro, curri und cucurri, cursum, 3, laufe heran, eile herbei.
acer, cris, cre, scharf, heftig.
acerbus, a, um, bitter, herb, unreif, beschwerlich, zuwider, grämlich, unfreundlich, schmerzlich.
Achaja, ae, Achaja, seit 146 vor Chr. Name für Griechenland als römische Provinz.
Achelōus, i, ein Fluß in Griechenland.
Achilles, is, Achilles, der schönste und tapferste der griechischen Helden vor Troja.
acies, ei, die Spitze, Schlachtlinie, Schlacht, das Heer.
acquiesco, quiēvi, quiētum, 3, ruhe aus, schlafe.
acquīro, quisīvi, quisītum, 3, erwerbe, verschaffe.
Actium, i, Vorgebirge in Acarnanien.
actor, ōris, der Schauspieler.
ăddo, dĭdi, dĭtum, 3, füge hinzu.
addūco, duxi, ductum, 3, führe herbei, hinzu, bewege, veranlasse.
adeo, Adverb, so sehr.
adeo, ii, ĭtum, ire, gehe hinzu, unterziehe mich einer Sache (rem).
adhaereo, haesi, haesum, 2, hange fest an.
adhuc, Adverb, bis jetzt, bisher, noch.
adĭmo, ēmi, emptum, 3, nehme, benehme.
adipiscor, eptus sum, 3, erlange.
adjĭcio, jēci, jectum, 3, füge hinzu, verleibe ein.
adjumentum, i, die Hülfe, der Beistand.
adjungo, junxi, junctum, 3, füge zu etwas, — me, schmiege mich an.
adjūtor, ōris, der Gehülfe, Helfer.
administratio, ōnis, die Verwaltung.
administro, 1, verwalte, besorge.
admirabĭlis, e, bewunderungswürdig, wunderbar.
admirandus, a, um, bewunderungswürdig, wunderbar.
admiratio, ōnis, die Bewunderung, Verwunderung; admirationi sum, werde bewundert.
admīror, 1, bewundere, verwundere mich.
admitto, mīsi, missum, 3, lasse vor, lasse vor mich, lasse zu.
admŏdum, Adv., sehr, überaus.
admŏneo, 2, ermahne, fordere auf.
admŏveo, mōvi, mōtum, 2, führe herzu; rursus admota prece nach wiederholtem Flehen.
adnītor, nīsus und nixus sum, 3, bemühe mich.
adolescens, tis, jung, ein junger Mann, ein Jüngling.
adolescentia, ae, die Jugend, das Jünglingsalter.
adolescentŭlus, a, um, jung, ein (sehr) junger Mensch.
